HYDROMANTIA PARACELSICA,

Hoc est,

DISCVRSVS PHILOSOPHICVS DE NOVO FONTE IN SAXONIA ELECTORALI CIRCA OPPIDVM ANNEBERGAM

reperto, olim S. Annæ fons dicto,

SCRIPTVS AB

HENNINGO SCHEVNEMANNO SEMIPOLITANO SAXONE, MEDICINÆ D. Episcopi Pababergensis Medico ordinario.

1.



PROSTAT

FRANCOFVRTI IN OFFICINA

Zachariæ Palthenij Doctoris

CIↃ. IↃ. CXIII.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO S. S. ROM. IMPERII PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOANNI PHILIPPO, Episcopo Bambergensi, Domino suo Clementissimo.

DVODECIMVS iam agitur annus, Illustrissime ac Reuerēdissime Princeps, quo ex Cels. Vestrę aula, adminiculante DEO, varios eosdemq; grauissimos quosq; medica manu deieci morbos; ipse vero iam afflictus morbo contabescam, cum nec ipsa Medicorum organa sint ferrea; temporis tamen iacturam interea facere, & talentum a Deo mihi licet exiguum cōcessum subtus terram abscondere nolui, sed Theoriæ idipsum impendere cogitaui. Quocirca verá Medicinæ fundamenta in varios tractatus, quos breui, fauente fato, in lucem emittam, digessi. At cum Doctiss. Tholdius, Cels. Vestræ metallicorū Ephorus, fontem in Misniæ tractu non ita pridem repertum descripserit; multa quæ desiderantur, vt ἡγεμονικὸν, quod in Machaonia Hermetis arce locaretur, conficerem, adiicere conatus sum. Cuius quidem fontis opera, sicut perquam clarissima, ita virtus eidem genuina, vnde promanarit, abstrusissima: quam cum modo demonstrare

Philosophico desudo, qui non ab indocta multitudine premar?

Est enim quoddam hominum genus, in laboriosis quidem actionibus iners ac ignauum; in alienis vero metiēdis, dicam potius reprehendendis, audax nimis & temerarium. Quod genus hominum cum nihil ex sese laude dignum parere possit, cum nihil nisi rancidum, nisi murcidum spectet; tamen cum industrium quempiam virum res suas laudabiliter feliciterque agitare vident, affliguntur adeo, vt nihil præter maledicere iucundum iisdem sit.

At profecto grauissime ab Epitecto dictum est: *Si Sapientiæ studium affectas, para te confestim, vt irridearis vel subsanneris ab indocta multitudine: quod si perseueras, qui te prius deridebant, postmodum admirabuntur: Sin cesseris aut tergum dederis, dupli irrisione afficieris.* Noui quosdam fore, qui in nostram hanc doctrinam debacchari, & quibus possunt eam nominibus denigrare satagent, quo vel inuisam reddant vel suspectam. Multi nouam indigitant; incertam nonnulli ac creperam: perniciosa quidam medicamenta nostra cauillantur: rogant quibus confirmata sint experimentis: quærunt an æquum sit, vt contra tot Academicorum Medicorum vnanimem consensum, [contra] consuetudinem vetustissimam omne punctum ferant; vt exitiosa fateamur vrgent, instant, arguunt, quæ hominem vel cito perimant: grauissimos etiam morbos multis hinc retro seculis, quibus nihil huiusce modi fuerit auditum, absque medicina nostra fuisse curatos.

His & id genus Asianis grunnitibus apud leuiter credulam imperitamq; turbam desertæ insultare caussæ facillimum esse, quis sanæ mentis ignorat?

Verum si nobis quoq; mutuæ dicendi vices essent, tanta profecto acrimonia, qua sic in nos, buccis, quod aiunt, plenis, ac

ac tam licenter quam impune, despumant, paululum defer-uesceret.

Principio, nouam quod appellant, vehementer iniurii sint oportet naturæ, cuius sacra opera nouitatis insimulari neutiquam merentur: Illis quidem noua esse minime dubito, quibus & natura noua, & opera eius noua sunt. Qui vero non tantum hærent in elementis & mistorum crasibus, sed res intuentur penitius ipsas, (quod officium est veri Medici genuinum) & essentias proprias, insitaque rerum elementa rimantur, purum ab impuro separant, vt quod occultum in iis, fiat manifestum, nihil apud nos deprehendent noui.

Huiuscemodi medicina diutine quod incognita sepultaq; latuit, cuiquam eorum, qui laboris fugientes omnem medicamentorum præparationem auaris tradidere pharmacopolis, pigritiæ fastuiq; acceptum ferendum esse, nemo non dubitat.

Ex eodem, quo pigritia & fastus hausta, fonte, pro dubiis incertisq; quod medicamina nostra proclament, manauit; cum tot illustria experimentorum paradigmata, quæ videntes non intelligunt, ac animaduertentes dolent, eadem satis & abunde testantur.

Quantulum illud, quod ex venenis præparentur? quid de medicamentorum nostrorum, verius dicam, alexiteriorum virtute detrahit? purgantia nunquid Galenica venenis etiam annumerantur pleraq;? Nam in exigua Arsenici crudi quantitate, plus est veneni, quam in butyri chymici sextuplo.

Si præferendum est itaque minus noxium, nostra præferenda: si incorrectum correcto postponendum, integra Hypocratica posthabenda, vt fecit Mesues, cum separare purum ab impuro docuit: quod dum fit, venenati spiritus, v.g. hellebori, manente ente medico, saparantur.

Esto, præparationes medicamentorum nostras non intelligunt: quo quid aliud, quam Hermeticæ doctrinæ, quam maxime perspectam verus habeat medicus est necesse, produnt ignorantiam?

Nec ad rem deniq; pertinet, Hipponacteo addicant me præconio, si, quanta iactitas, medicamenta tua sunt tanta, *Medice cura teipsum*. Ea namq; in DEVM meũ fretus fiducia, eum ipsum, si plenitudo temporis aduenerit, omnem abstersurum mihi lachrymam, & ossa, quæ comminuit, erecturum fracta spero. Sed quid hæc commemoro? quasi vero nesciamus, etiam CHRISTVM Dominum, & Salutis nostræ vindicem, Iudeorum sannis expositum fuisse: *si filius* DEI *es*, adganniunt, *descende de cruce*: & iterum: *alios saluare potes, sana teipsum*.

Quare si filio DEI maledicorum lingua non pepercit, quis ab omni laude tam felix extitit, qui tutum ab ea se sperabit fore? Et si quæ diuinitus fiunt, obtrectatoribus non carent; quid iis, quæ natura humana parum cauere potuit, eueniet? Nihil enim tam est eximium, quod incessere violareque maledicendi libido non audeat. Vtinam Horatianum illud cum organorum meorum statura, quæ nulla naturali potentia immutari potest, compararent;

Multa tulit fecitq; puer sudauit & alsit,
Qui cupit optatam cursu contingere metam,

Vtinam eosdem mecum labores a teneris vsq; annis subiissent, profecto vel iam pridem occubuissent, vel a suis sibi insultibus temperassent.

At contra hos nõ iuuat quicquã aureo hamo piscari. Vnde Patrono mihi opus esse cognosco, vt si perfidi Sophistæ crassa liuoris & calumniarum insania studium hoc nostrum opi-

opprimere velint, id eius discretionis perspicacia & iudicii candore fortiter protegatur atq; defendatur feliciter.

Qui vero citra hypocrisin iuste, vere & tuto illibata conscientia præstare possit hoc, Illustrissime PRINCEPS, præter Cels. Vestram, vtpote cui studia & opera mea sunt cognita, potentiorē reperi neminem. Celsitudinis Vestrę namq; eleemosyna in paupares affatim erogata, ac DEI ter Opt. Max. bonitate influente ac benedicente, non solum contracti, medicinis nostris incessui restituti, multi ab eruginosis vlceribus mundati; sed & hydropici ac phthisici, quorum quidam ex aliorum celeberrimis amplissimisque pthochotrophiis, velut incurabiles dimissi (quod tamen citra arrogantiam dixero) conualuerunt.

Desipiant nunc igitur deliri, quoad resipiscant, ringantur liuidi, donec rumpantur, & Anticyram nauigent, vt helleboro ibi persanati, rectius de rebus iudicare possint: Ego vero; qui bonæ intentionis conscientia fretus, omnibus & singulis, quo qualicunque modulo meo, scriptis inseruire meis pergam; hanc hydromantiam Cels. Vestræ committo, quam si Cels. Vestra protegere non dedignabitur, eiusdem clementia ad maiora suscipienda confirmabor. Valeat Cels. vestra quam diutissimum incolumis.

Bambergæ ex musæo meo, Anno reparatæ salutis humanæ CIↃ. IↃ. CIX.

Illustriss. & Reuerendissima
Cels. vestra

Subiectissimus

Henningus Scheunemann
Medicinæ Doctor.

LECTORI SALVTEM.

ARTEM medendi mancam adhuc, & solum ab Hebræis, Græcis, Arabibus, Latinisque inchoatam esse, multaque præclara, sine quibus artis perfectio consumata esse nequit, ad quæ nulla ingenii acies penetrauerat, ætatem dierumque numerum produxisse, præ multis aliis intellexit Bassianus magni ingenii vir, Fernelii Ambiensis paradoxa ruminans, Cratonem Ferdinandi Imperatoris Archiatrum hisce compellans verbis:

Gallus iste ingenij & doctrinæ luce atque ordine nobis Auicennam vel totum obscurabit, vel vt multos illius errores videamus, faciet. Ille omnibus perlectis, qui de Medicina atque Philosophia aptius quiddam posteris tradiderunt, non quæ cogitatione sola plerique fingunt atque comminiscuntur; sed quæ vera ac solida, & ab optimis quibusq;, tum Græcis tum Latinis, tum Arabibus, firmissimis argumentis probata ad medendi vsum conducere experiebatur, excerpsit, & in vnum contulit; noua quam plurima, & hactenus incomprehensa adiecit; ideo ipsum crepant Rondoletius, Argenterius, Hieronymus Mercurialis, Trincauella, & multi alii. Hos contrait doctissimus Godefredus Steeg, Cæs. Maiestatis Medicus cubicularius, cum aliis. Ita indies pro veritate, quæ vnica est, dimicatur, vt Medicina iam penes prædictos nec sit Hermetica, nec Hyppocratica, nec Galenica, nec Arabica: aduentante hoc malo, quod Medicinæ principes cum Hermete Rege, male apud vulgus audiant.

Cuicunq; hercle debitam si quis laudem denegauerit, artis terminum assequi non meretur. Quamuis negari non potest, quin aut bellis ciuilibus, aut Medicorum socordia factum sit, vt verus Hermeticæ medicinæ vsus exolesceret; quod epileptici, phthisici, podagrici, leprosi, &c. adhibita Galenica opera, vitam cum morborum cruciatu transigentes, maxime deplorarunt.

Ea propter omnis bonitatis fons commotus, quo tempore nouum orbem Europæ cognitum fecit, medicinamque nostram Garzias ab Horto, Proregis Indiæ Medicus, Christophorus a Costa, Nicolaus Monardes, cum Carolo Clusio, plantis ac aromatibus Indicis exornarunt; Germanum suscitauit Paracelsum, qui Hermeticā & Hippocraticam doctri-

doctrinam omnium primam, imperfecte & hieroglyphice ad atavos nostros delatam compleret: quod peculiari spiritus sancti assistentia adeo præstitit, vt nihil amplius desiderari possit, ob nauatam operam Monarchæ nomen adeptus, quod mundus immundus ferre nec vult nec potest, in excessum & defectũ vergens: Ex hoc spuriogalenica secta, ab isto Pseudoparacelsia traxit originem.

Illius auctores solis elementis inhærentes, omnem energiam endelechiam, potentiam ac virtutem primis qualitatibus attribuunt, voluntq; hæc esse principia omnium, quæ sunt in mixtis: quicquid his congruit, id rationis sæ & methodo includunt: quicquid dissentit, id ad irrationalem ablegant experientiam: hanc Pariensis schola vsurpans, Riolano auctore, doctrinam Hermeticam, quæ rerum essentias scrutatur, damnat. Hanc redarguunt Quercetanus, Harretus, Bacinetus, Rulandus quorum labore, industria ac victoria parta Libauius triumphat: canit ite Monarchæ tuba: *omnem essentialem virtutem, in interiore mixti natura gliscere, quæ cum ad simplicissimum reducta est, triplici apparet specie, quæ sunt principia Chymicorum tria Mercurius, Sulphur & Sal. Hæc similia naturæ remedia suppetunt, quibus natura adiuta morbos a se propellit, doctrinamq; medicam supra quatuor fundamenta stabiliuit immobilia, quæ corruere aut labi minime possint.*

Quorum primum fundamentum est in DEUM & proximum pietas, per quod & benedictio & sciencia comparatur. Alterum est Astronomia, cœli, ignis aerisq; anatomiam & mysteria perdocens. Tertium est Philosophia, quæ terræ & aquæ anatomiam tradit. Postremum est Alchimia, quæ per ignem materiam omnem præparat, purum ab impuro separat, cuius beneficio corporea possunt reddi spiritualia seu astralia corporea invisibilia visibilia, & incorruptibile balsamum e rebus omnibus elici, ad perfectionis puritatisque gradum summum perduci: Vera Hermeticorũ medicina proprie & per excellentiã dicta quinta essentia, Elixir, aurũ potabile, lapis, cœlum philosophorum, &c.

O ter quaterq; beatum regnum, in quo medicina hæc vigebit; Regnum merito aureum, cuius Paracelsus Dux eius. Ibi enim cunctorum hominum malorum finis & terminus erit (huius ætatis respectu) rabularum, causidicorumq; loquacitas, omnis deniq; iniustitia cessabit: Theologastrorum, sectarum hæreses terminabuntur; id temporis cum ægrotis tam podagricis, hydropicis, leprosis, caducis, & cæteris

medicinis spagiricis consuletur, quæ passim in Anglia, Gallia & Germania, impulsu clarissimorum virorum DD. Torneri, Mosfeti, Theleri, Selini, Penoti, Quercetani, Harreti, Baccinetti, Rolandi, Bürckmanni, Dani Seuerini, Zuingeri, præparantur, & maximo eorum emolumento subministrantur ægris. Quibus consentiens Andreas Libauius, Riolani rabie cōcitatus, trophæo huius artis triumphans, in hæc prorumpit verba: *Nostra*, inquiens, *tempora, non sinunt nos Medicos esse bonos aut absolutos sine Alchymia, veterinarij foremus, non medici, si nobilissimam illam artem seponeremus.*

Deploranda sane est Galenistarum eiusmodi pertinacium conditio, qui non possunt admittere, vt reliquus mundus vniuersus, adeoq; Christianus, plus videre possit & experiri, quam duo viri Græci Ethnici, qui in plurimis abnormiter peccarunt.

Quod si quis sana mente trutinet, quæ Paracelsus de conditione hominis ante & post lapsum, de eiusdem per secundam creationē seu regenerationem instauratione, de noui seu regenerati nutrimento ex sanguine & carne CHRISTI, de limbo cœlesti, ex quo generatio hæc procedit, de mortuorum denique resurrectione, perpetua vita, cœlestiq; lætitia abūde, discrete & mirabiliter disserit; ipsum proculdubio atheitatis omnis suspicione vindicaret. Recte contendit doctissimus Libauius, non adeo veteribus inhærendum aut immoriendum esse, vt nouum omnino sit reiiciendum; nec frugibus inuentis, adhuc glandidus vescendum. Et cur potius credas Hippocrati? quam Galeno? aut hisce potius, quem nostri seculi medico?

Medicinæ scientiam ex salubrium obseruatione primum conflatam, & totam ab ἐμπειρίᾳ natam, princeps est Aristoteles, & Manlius lib. 1. inquiens:

Per varios vsus artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam.

In hac veteres illos excelluisse multū, vt non diffiteor; ita nostræ tempestatis Chymicos aut nihil aut parum illis cedere, affirmare haud vereor. Videant hoc ipsi Chymicomastiges & doleant, veritates Hippocraticas & Galenicas non aspernamur: falsa eorum figmenta, vna cum Paracelsicis superstitionib. si q̄ in eius scripta irrepserint, quęad naturales leges & effecta reduci nō possunt, repudiamus, bona enucleamus.

Intelligimus namq;, quam præclare ac sapienter sit dictum, *bonum esse*

esse a veritate vinci: & illud: *pare esse, ut quisq; a veritate superari velit, a qua vel invitus superandus sit.* Hoc si saperet Rolanus, viros doctos canum more non allatraret, ac dente Theonino arroderet.

Hermeticam doctrinam a Paracelso auctam, illustratam, & in lucem e tenebris productam inficiari, quid quaeso aliud est, quam apertis etiam caecutire oculis, & cum ratione insanire velle? Libavianus hoc detegit triumphus. Pseudoparacelsiam omnino reprobamus, impostoriam illam, quae sophistica metalla pro auro obtrudit, & ad fallendum incautos, se componit totam, quale hominum genus per fora vagatur publica, atq; etiam Principum tentat adire fores aulicas, maximorũ promissorũ ampullis: quorũ turpissimam impudentiam & fingendi mentiendiq; libidinem effrenatam utinam Principes viri coercerent: Sed in deliciis inter quosdam esse, & impune doctis illis maledicere, satis iis, quae rebus bonis ruinam minantur, annumerandum est.

Isti sunt, qui austeritatis Paracelsi pertaesi, argyropoeiam & chrysopoeiam, quam nunquam didicerunt, artem iactantes, discessionem nimis repentinam fecerint: quorum miseriam ipse Paracelsus deflens Tom. 2. defens. 6. meminit: *Carnifex*, inquit, *servorum meorum viginti & unum e vivis sustulit*, DEVS *ipsos omnes iuvet. Qui vero mecum manere possent, quos carnifex aufert? aut quid mea ipsis indignatio fecit? si ipsi indignationem carnificis evitassent, haec demum vera amicitia fuisset. Quod si servi alii quoq;, eiusdem cum prioribus farinae, qui tamen carnificem hactenus effugerunt profugi, meam passim iracundiam decantant: quid id admodum refert? Qui vero iracundus non sim, si servus servi non facit officium, sed Dominum improbe affectat? Si suorum satagens commodorum, damnum & ignominiam meam accurat, & de noxis datis insuper mihi insultat? Si clam me apud agros criminando succedunt ipsi, & me inscio curam illorum, mercede dimidia accepta, aggrediuntur, dicentes, se mea secreta omnia nosse. Quae ipsorum protervia si mihi innotescat, qui non indignari debeam? Scelus hoc in me commiserunt Doctores, Chirurgi, tonsores, discipuli, servi, pueri etiam: & tamen post haec omnia ego agnus sim? Mirum, ne lupo severior fiam. Interim mihi pedibus migrandum est, cum isti caballis inequitent. Hoc mihi tamen solatio perpetuo est, quod mihi ipsi subinde ego similis maneam, cum tamen ipsi profugiant, & in facinoribus enormibus corripiantur.* Et paulo post in conclusione. *Mihi dubium non est, quin si magistratus rerum harum noscendarum studio flagraret, & malum idem perpessus esset, propter chari-*

tatem proximi multo acriorem censuram instituentium sit; Sic rosæ etiam inter vepres nascuntur. *Non est tamen laudabile, quod quilibet Alchymista (inquit ille idem in manuali de lapide philosophorum) artem medicam exercere velit, cum tamen eius non sit gnarus. Debebat medium seu repagulum aliquod hic inveniri, quo talibus putatiuis medicis exhibitio fieret. Ego enim istorum culpam non feram, nec eos pro discipulis agnoscam, cum non sectentur veritatem, sed habeo eos pro deceptoribus notis, & pigris erronibus, qui veris discipulis bolum e faucibus eripiunt, & hominibus ex proposito nocent, & neque conscientiam neq; artem magnifaciunt*, &c.

Hæc Paracelsus, vt homo, ferre debuit, quę mutare non potuit, cum ita decretum sit,

Quod mala mixta bonis, & bona mixta malis.

Hæc præfari volui, Candide LECTOR, ne dum Paracelsi terminis in hoc & aliis tractatulis meis vtor, eumq; inter Medicinæ principes ob collata merita computo, ne agyrtarum & Pseudoparacelsistarum agere patrocinium habear, quos potius exterminandos, & Gyaris censeo dignissimos: tum, vt cognoscas, in quosnam dissensus Medicinæ nostro seculo propugnatores sese præcipitent. Vale, & nostro conatui faue.

CAPVT I.

DE REPARATIONE FONTIS IN MISNIÆ TRACTV, PROPE OPpidum Obernzweinitz ſcaturientis.

QVAM inæſtimabilis ac immenſa DEI omnipotẽtis bonitos, erga nos clientes ſuos, variis variorum morborum ſymptomatis, Yliadi turbine agitatos eluceat, vel ex ſolo iſto fonte, in Miſniæ tractu ſcaturiente, qui annos abhinc circiter ſexaginta inundatione tempeſtuoſa, vel prætextu τῆς ἑτεροδοξίας finitimis neglectui fuit, hoc autem annno, ab incarnato Saluatore noſtro IESV Chriſto ſupra milleſimum ſexcenteſimo octauo, menſe Aprili, in communem ægrotantium ſalutem diuinitus reparato, percrebereſcit.

Solus æuiternus ille Medicinæ Monarcha a languores noſtros ſanans, naturæ arcana, quibus membra noſtra morbis afflicta refocillantur, nos edocet; vt & hoc virtutis genere gloriam ſuæ bonitatis nobis declaret.

Decretis itaque temporibus, decretiſque morborum generibus nouis, & ſuborientibus pœnis, excitauit certos, quos elegit ſibi homines, in quos bonitatem exſereret ſuam, vt nos a multis non ſolum animæ, ſed & corporis eriperet periculis.

Quid ni DEVS & nunc opera diuina, arcana, & lumen naturę, in se, vel per somniũ, simulacra, visiones, tam abiecta, vt videri possit, ludicra specie reuelari vult? Summus id ipsum de se testatur IEHOVAH: *Si quis*, inquit, *inter vos fuerit propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. Nunquid talis seruus meus Moyses qui domi mea fidelissimus est: ore enim ad os loquar ei.* Rex Nebuchdonoser, cum Areolos, Magos, maleficos & Chaldæos strangulari omnes iussisset, eo quod somnium e memoria ipsi dilapsum, in mentem reuocare nequiuerunt; DEVS Regis somnium Danieli in somno reuelauit; qui futura Regi & somnium indicans, Israelitas a laqueo liberauit.

Nunquid per somnium locutus est Dominus Abimelech? Nunquid Iacob angelos e cœlo descendentes & ascendentes vidit? Nunquid angelus Domini in somnis apparuit Iosepho, vt fugeret cum infante in Ægyptum? Tribus Regibus ne reuerterentur ad Herodem? & Paulo visu nocturno?

Non antiquatum est adeo, Iuliani tempore Didymum Alexandrinum in somnio vidisse candidos equos, & in his equites, dicere, Narrate Didymo, hac hora Iulianũ esse interfectum.

Nec solum DEVS hoc pacto mysteria, magnalia, salutem animi duntaxat concernentia manifestauit; verum & naturæ arcana, quibus corpus sanum in alterum, proximum & quartum, &c. Iliastrum conseruetur, a morbis custodiatur atq; defendatur, aperit, largitur cui vult, vni plusquam alteri: Sic visum est ei bona & dona sua dispensare.

Ab hoc Trismegisto Theophrastus Paracelsus edoctus, sciuit, quicquid in rerum natura fuit scibile. Ea propter omni conatu quolibet Medicos ad creatoris DEI omnipotẽtiam, eiusq; cognitionem adducere desudat, vt videre in & præfatione

tione Paragrani, & in Epistola ad celeberrimum Ioachimum Vadianum. *Non enim*, inquit, *Cælum ex me fecit Medicum, sed* DEVS: *Cælum non facit Medicos. Medicina est ars, quæ ex* DEO *est, & non ex cælo, quam Deus ex diuina clementia omni religioni impertiuit.*

Huius bonitate Auerroes aquam rosaceam ophthalmiæ mederi fuit edoctus in somnis.

Eandem Dei clementiam mulier quædam honesta, Matthiæ Gottels relicta vidua, pagi cuiusdam ab hoc fonte dimidium milliare distantis, nomine Künheit/prope Oppidulum Zwenitz/incola Sybilla Gottels dicta, sensit. Hæc 14 annos pessime se habuit, ac vlcere maligno & putrido vehementer est tentata, vt nulla recuperandæ salutis spes erat reliqua, a Medicis & Chirurgicis derelicta, omnipotentis Dei subsidium implorauit sedula.

Tandem, quo remedio pedis vlcus istud fœdum sanari posset, per somnium est edocta: vt nempe montem, Ortum versus, scanderet, vbi fons quidam scaturiret in planicie paludinosa, inter duo nemora, quorum maius extendens se ad septentrionem, minus ad meridiem, cuius aqua si quoties lauaret vlcus, & eandem identidem instillaret tepidam, sanaretur. Expergefacta somno, gratias egit DEO, neutiquam addubitans, quid DEVS per id somnium sanitati consultum velit, continuo montem superauit, fontem & locum fontis industria sedula disquirens; sed non inueniendo defatigata non desiitit, nec de DEI bonitate dubia, proxima oppida claudicando oberrat, seniores quærens & peruestigans, num prædicto in loco fontem exstitisse quondam, vel exstare hactenus meminerint.

Per varia sed enim oppidula maximo diuagata cruciatu, fontem a nemine potuit expiscari. Virum tandem Pe-

trum Richterum centenarium omnibus exhausta viribus ostendit, suos ipsi dolores, ærumnas & somnium narrans: qui

Haud equidem sine mente reor, sine numine Diuum,

lassam ac fatigatam consolatur viduam, affirmans, constare sibi de loco, quo in honorem D. Annæ, Matris Beatissimæ Deiparæ virginis. Mariæ sacellum quondam exstructum, sed iam hinc annis quadraginta collapsum & dirutum exstiterat: prope istud fontem scaturire quendam, cuius aquæ vsu complures sanatos superiori fuisse seculo, quoad mens sua longissime præteriti spacium temporis respicere posset. Ploratu ac precibus ergo huius viduæ commotus, per angustam antehac a fœnisecis adapertam viam, mulierem ad locum istum, quem in somno viderat similem deduxit, & riuulum exiguum infra lapidem magnum promanantem ostendit; suos illa pedes aqua lauat per cohobia: quo facto, diuina gratia, huiusq; fontis aquæ efficacia, prorsus a diuturno morbo conualuit.

Quocirca non immerito ad pristinam diuinitus restituta valetudinem, Omnipotentis Dei gratiam & bonitatem sibi præstitam, propalam celebrare, & quam pluribus commemorare non erubuit. Vnde fama magna de huius fontis salubritate, per viciniam & passim locorum diuulgata, maximus ad eum hactenus, non tantum ex finitimis, sed remotis etiam locis, hominum, tam tenuis, quam summæ facultatis concursus factus est, & adhuc quotidie fit.

Multa insuper dolia huiusmodi aqua supplentur indies, & obsignata in remotas transuehuntur ciuitates, vt vbiuis hæc salubertima vnda, in vsum medicum recepta, vini pretio, venundetur.

Hoc facto fontem rursus in lucem reuocatum esse, vtriusque

que ſexus ciuitatum metallicarum incolę confirmant; quamuis ipſa vidua per ſomnium quicquam ſe vidiſſe modo deneget; ſed amici cuiuſdam commendatione pedes eadem aqua lauiſſe, & ſanitatem conſecutam eſſe perhibeat.

Vtut ſit, diuina ſingularis gratia non immerito hic decantanda eſt: ſiquidem certo liquet, hunc fontem non eſſe nouiter inuentũ, ſed multis ſuperiorib⁹ retro ſeculis fuiſſe celebrẽ: quod affines nec negãt nec negare queunt proxime fontem Sacellum fuiſſe conditum in D. Annæ, matris B. V. M. honorem, ſed annis ab hinc ſexaginta depopulatum corruiſſe, vt niſi fundamenti veſtigia nunc vix appareant. Multæ quandoquidem tegulę, quas, dum ampliores fontis quærerent venas, ipſe vidi, & extimam circa eundem amouerent terram, inuentæ ſunt: quæ argumento ſunt, templum fuiſſe a veteribus inibi exſtructum, vt huius fontis beneficio ſanatus, debitas ibidem Deo gratias perſolueret.

CAPVT II.

De nomine huius fontis.

CVM primæui parentes noſtri diuina DEI clementia repudiatis idolis, ad veram CHRISTI fidem conuerſi, non amplius ex Philoſophantium decretis, rebus quibuicunque fortuito inuentis, ex loci amœnitate, ſitu, vel virtutis efficacia, vel ſtatura, &c. vt ſolitum erat, nomina indidere; ſed ſi qua fortuna, vel in fodinis metallicis, vel in aquis, mari vel terris affulſit, in laudem Omnipotentis DEI, nomen præcipui cuiuſdam Sancti, rebus illis nouiter repertis, vel DEO dicatis tradidere; vt iuxta Regis Dauidis exemplum, Creatorem ſuum in Sanctis colerent, eorum veſtigiis inhærerent, & ad poſteros honore perpetuo tranſmitterent.

Caput III.

De fontis S. Annæ situ.

Deum & naturam nihil quicquam frustra tentare, moliri & agere, huius ex fontis situ cum primis innotescit. Cum enim recte, suffragante philosopho, *omne bonum sit sui maxime diffusiuum*; non absq; consilio, non temere, in eo loco produxit hunc fontem natura, quo pluribus suam posset diffundere virtutem: cum non vnam & alteram ciuitatem, sed plures æquali ferme distantia in gyrum & circulum deplantatas respiciat, etsi vltra Yliadum assurgat, omnes irroret.

Scaturit namque vltra Muldam Schnebergensem in prato quodam versus Eurum aperto, & ventis peruio; vtrinque ad Aquilonem nemore maiusculo, ad Austrum vero minusculo defenditur.

Huius ergo fontis, tanta potentia medica celebris, perlustraturus situm, constituat eundem loci centrum; & ad Orientē vultum directurus, Annamontium, ex cuius profundissimis & abstrusis vndique versum cauernis, pretiosa varii generis effodiuntur metalla, intuebitur. Si ad Meridiem coniiciet oculos, caput suum non ita procul e montibus exserit Grünenhan. Si se vertat ad occasum, suis turribus eminentissimum cacumen candidum, velut inter nubila condit, Niuemontium. Si demum ad septentrionem spectabit, non tantum hominum artificiis, sed præruptis, vndiq; natura montibus conspiciendum resplendet Stolbergense oppidum. Per quatuor prædictas ciuitates, veluti per quatuor cœli plagas Titan, gressum suum moturo, inter Ortum & Meridiem, hoc est, inter Annæmontium & Grünenhan / efferent se, tāquā in Zodiaco signa, Helmersdorff / Elterlein / Schwartzbach / Raschaw / Schwartzenberg. Ad Occasum a Meridie,

hoc est, ad Nemorum a Grünhan digressio, Bernbach/ die Aw/ transeunda sunt. Inde a Stollberg/ vsq; permeabis vicos, die Schlema / Alberode / Lesnitz / Lenkersdorff / Hartenstein / Beutta / Affalter / Gablentz. Spatium deniq; a Septentrione vel Ortum, Stolberg versus Annæmontium, circuli huius capiet, confecturus iter pagos Chemnitz & Geyer interpositos habebit. Quæ singulæ ciuitates a se mutuis dimidio, a fonte vero sesquimiliari, sicut oppidula Künheit/ Zweinitz & Affalter ab eodem, dimidium circiter milliare distant.

Quibusdam igitur lapidibus quadratis interceptus fons, exigue in cuniculo, directa in altum via, digitali crassitie in Triaul prosiliebat: summa vero hominum frequētia aduentante, & hauriendo, vt plurimum fit, interturbatis aquis, possessor illius, in prædicto pago Zweinitz colonus, Nicolaus Grainer nomine, vt maiore exuberaret aquæ copia, plures fodiendo perquisiuit venas, & in nouam formam, cuius longitudo in tres cum dimidio, latitudo in trinos, & profunditas in binos se extenderet cubitos, tignis ligneis conclusit, ac domunculam, vt qui vectigal ab aduenis exigeret, a tempestate se tueretur, superædificauit.

Cur autem diuino nutu tot ciuitates, tot oppida in circulum sint constituta, in quorum medio, velut centro, positus hic fons ebulliat scaturiatque scire satagas; nulla certe ratio est, vt vel hac saltem occasione erudiamur, quæ Deus & natura in omnium vtilitatem produxit, non vnus aut alter ad priuatum sibi vendicet vsum.

Capvt

CAPVT IV.

An fontium aqua ex imbrium pluuiarumque collectione profluat.

ARbitrati sunt prisci Philosophi intra terram quasdam esse cauitates & alucos, quibus imbres excipiantur, atq; ex iis fontes & fluuios dimanare, eosq; perennes esse, quorum aqua ob alueorum capacitatem ad hyemem vsq; futuram sufficiat, nec exarescat, antequam denuo pluat: eos siccari, quorum aluei minores existant, ita vt ob aquæ paucitatem ad sequentem hyemem scaturire nequeant. Eapropter brumali tempore vberiores amplioresq; fontes esse ac fluuios autumant. Sed falso: cum externa duntaxat appositione hoc pacto sumant incrementum: nobis autem sermo sit de productione aquarum, quoad esse, seu de ortu & generatione, non autem de augmento vel aquarum abundantia. Si enim aquæ addatur aqua, aquam augeri dicimus, sed non generari, vel ab ortu produci.

Nec ideo pauca visuntur flumina, vbi rari sunt imbres, vt in Æthiopiæ solitudinibus, & in Africa, aliisq; in locis, quæ Solis ardore torrentur. Terra namq; cum sitibunda valde sit, antequam in extremam superficiem aquas refundat, auiditatem sitimque propriam restinguat, tum quoq; Sol, qui iis in locis feruentior, antequam erumpant, absorbet. Et hęc caussa est, cur in calidis regionibus pauciores sint aquarum scaturigines, & cur eædem aliis etiam in locis per æstum minuantur, aut omnino deficiant. Non enim imbres, fontium & fluminum origines generant, cum mõtes quidam, nullo terræ corio tecti, ac nuda solummodo habentes saxa, perennem magnamq; aquarum vim ex se proferant, quæ ex imbribus collecta esse non potest: nec solida bibunt eam saxa, nec imbres

multum in terram descendunt, cum tamē per ducentorū aut trecentorum pedum spatia in profundū perfodientes, vberrimas aquarū venas inuenerint eo loci, quo pluuiatilis nō penetrat humor; nec ulla pluuia tam copiosa reperta est, quæ terram vltra decem pedes madefaciat; sed pars terræ superior vel omnem humorem absorbet, arida vel exsaturata nullum excipit, vel per torrentes riuos in amnes diffundit, vnde quidem augentur, sed non producuntur.

Capvt V.

An fontium aqua ex aere intra terram incluso, & vaporibus generetur.

Cvm ceteris pseudophilosophis æque hallucinatus est Aristoteles, aquam fontanam & fluuialem intra terræ sinus ex aere & vaporibus in aquam solutis gigni: cum, istiusmodi corpora, ipsorum calorem loci frigiditate expugnante, addensari & concrescere, ac demum ad aquæ generationem disponi, necessum sit.

Verum demus Aristoteli, quod terra multum ac rem intus contineat; neutiquam tamen hæc aeris in aquam conuersio, fontium ac fluminum origo prima est.

Nam mutua elementorum commutatio, elementi non est productio, sed solummodo qualitatum conuersio. Non enim terra aerem procreat, nec aerem ignis; pari ratione nec aer aquam: cum aqua namque proprium, & a ceteris elementum distinctum constituat, ab aliis minime producitur.

At elementa inter se inuicem qualitatum permutatione cōmutari, recte quidem Aristoteles; nec nos ei refragamur, quin non ex vaporibus ascendentibus colligatur aqua congregeturque.

Cete-

Cæterum hanc aquarum collectionem, non esse generationem vel earundem productionem, aduertere nolunt. Nam vapor ab aqua substantialiter non discrepat, imo nec qualitatibus pugnat; sed solum quantitate ac partium cohærentia, aliud sensuum iudicio esse ducitur: quod satis aperte in succorum destillationibus cernere licet, vbi non nouæ aquæ generatio, sed depuratio duntaxat su boritur. Calor namque cucurbitæ subiectus, succi inclusi vel humidi corporis partes subtiliores (quæ sensuum iudicio æmulātur aerem, & si humidæ sint, vaporis; si siccæ, exhalationis nomine insigniuntur,) in altum propellit, quæ alembicum attingētes, & exitum nullum inuenientes, congregantur, & rursus coniunguntur. Haud secus vt punctum puncto identidem additum lineam constituit; sic & vapor congregatus & collectus visibilem aquæ formam instaurat. Hæc autem aquarum collectio, generatio vel productio non est; cum vapor nihil sit aliud, quam aqua discreta.

Quocirca delirare eos palam est, qui tantum aquæ ex vaporibus & aere in terræ sinu quotidie generari, vt ad tam copiosum fontanæ & fluuialis aquæ defluxum, & ad tot scaturigines opplendas sufficiat, arbitrantur. Siccine perennis & continuus aquarum decursus ex fortuita vaporum concretione? Mirum si omnino imparis caloris sint vires in progignendis vaporibus æquales.

CAPVT VI.

An fontium aqua ex mari ducat originem?

NON desunt, qui perennium fontium fluviorumq; originem ex mari per circuitum deriuari volunt, non attendentes mare salsum esse; nemo autem nisi plane stultus crederet aquam, dum per terræ meatus & anfractus remearet,

ad fontium principia salsedinem suam deponere; quin imo cum tot se lacunis & specubus inferet, facile prauos odores & fœtidissimas exhalationes secũ traheret, vt in sulphureis istis acidulis videre est; tũ vel maxime, cum nullus ibi Archæus, qui hæc secernat; tum quoque, cum mare humilius, si non omni terra, saltem montibus fuerit. At quia ex altissimis montibus maxima decurrunt flumina, ridiculum certo est, hic vim quandam trahentem fingere, fontanam & fluuialem attrahi sursum vi cœlestium corporum, communis boni gratia: quomodo huiusmodi aquæ motus, cum contra priuatam propriæ formæ inclinationem sit, non est violentus?

Quis nescit, quæ vi corporum cœlestium mouentur, ad eorum motum ea cieri?

Fontes ergo non essent perennes, sed mox fluerent, mox cessarent, nisi forsan & sæpius isto motu violento altius raperentur aquæ, quam in terram defluerenr.

Non igitur ex mari suam fontes ducunt originem.

CAPVT VII.

Quænam sit vera fontium origo.

POstquam DEVS ter opt. max. solo nutu tria prima corpora e Mysterio magno creauit, tertia horum expolitionis die, vnum in locum aquas seiunxit, easque terræ cauernis inclusit, quibus ex ipso elemento plurimi fontes, plurimi diuersis in locis amnes ad diuinum imperium promanarunt. Hinc inter cetera, quibus architectandis diuina tunc occupata fuisse dicitur sapientia, numerantur fontes, Prouerb. 8. cap.

cap. *quando praparabat cælos, aderam; quando firmabat æthera sursum, & liberabat fontes aquarum.*

Elementum ergo aquæ est ipsum semen, ex Yle in fabrica reconditum, ex qua primum flumina & fontes scaturientes per terræ planitiem, in mare congregantur, ibiq; Yliado terminantur & consumuntur.

Elementum hoc ab aqua discrepat, quod hoc in fabrica, nempe in centro quasi terræ, instar materiæ confusæ seu seminis delitescat: vnde haud secus vt ex semine minimo ingens excrescit arbor; sic & aqua ex eo ad Yliadum, hoc est, ad aeris & terræ elementum procedit, eo si peruenerit, Yliadum terminat & ad mare currit, vbi putrefactioni subiacet, semetipsam consumens.

Hoc igitur discriminis est, quod elementum aquæ sit velut caussa productiua, aqua vero sit effectus. Elemento siquidem materialiter omnes aquæ fructus insunt, quos Archæus separat, ac in suum Nidcon ordinat ad terræ Yliadum, non tantum aquam ab aqua, vt salsam a dulci, austeram ab amara; verum etiam metalla a marcasitis, & ab his cachimia, quod solius Archæi opus est; cuius elementi generum primum & maximum commune, est aqua dulcis, & est cremor Mercurii simplex nulla alia commixtione implicatus, sed sola humiditate & frigiditate innata pollens, quem perpetuo Mercurius pneumosus permeat, vt proprio nunquam claudatur termino. Hinc nunquam idem flumen pernatare bis licet: semper enim & assiduo noua ac noua prolabitur, donec in Yliado persistat, & rursus putredine consumatur.

Quamobrem ex hoc elemento, quod in fabrica, velut in centro terræ, post marium congregationem permansit, quatuor flumina in paradyso iam tunc manarunt amne, ducta origine ex abysso. Esse autem abyssum infinitam inexhaustam

generandi potentiam, in Æromantia nostra dilucidauimus.

Pari ergo ratione non solum hi; sed & alii quoq; fluuii ac fontes diuersis in locis profluebãt, vt eorum decursus terram irrigent & fœcundent, animantibus potum suggerant, pabula educant, aeremque reddant salubriorem: quas commoditates & emolumenta singularis illa tanti artificis cura & liberalitas, in prima rerum molitione, haudquaquam prætærire debuit. Sicut enim lignum Aloes ad coquendum ligno fagino plus minime præstat; ita vicissim aqua seu Mercurialis cremor ad potandum vino, & ad edendum caro bubula, phasianorum carne inferior non est. Quid enim id est, quod homo describit carbunculum, Rubinum, Topaziumue, & transilit crystallum, quæ virtute omnes illos superat, velut & lapis molaris? Despectiores ita manent lapides illi, qui viribus insignibus dotatæ sunt. Sic & vinum aqua celebrius est apud scriptores; cum tamen ex aqua vinum generetur, & aqua plus omni vino conferat ob virtutes præstantiores, in duos vsus destinatas, in conseruationem scilicet seu nutritionem corporis, & in eiusdem medicationem. Hinc aqua alia est nutritiua, alia medicata, & vtriusq; varia ac diuersa genera.

CAPVT IIX.

Quot sint aquarum medicatarum genera?

QVamuis aquæ medicatæ seu minerales ab omni æuo raram naturæ originem habeant: quod non solum de marina aqua; verũ & de multorũ fontium scaturigine, quorum aqua nulla proprietate immutata, in hunc vsq; diem eadem profluit, verificatur. Omnes tamẽ & completos aquarũ fructus, ne noster quidem hactenus vidit Iliaster. Vnde nouis aquis exortis, noua quoque proprietas simul oritur, quamuis pro-

proprietates omnes nobis & animalibus cæteris conducibiles aquæ concreatæ sint. Nam salſedo aquæ marinæ ita conuenit, vt eam ab ortu mundi innatam eſſe dicamus.

Quod si iuxta mentem Ariſtotelis terreſtres exhalationes mari ſalſedinem impertiant, cur non ob eandem cauſſam aquæ pluuiæ, ſtagna, lacus, paludes, atq; id genus aquæ ſalſedinem combibunt? cur putei defoſſi ad littora deſtituuntur ea? itane aqua per terram defluens, decolata per illam a ſalſugine depuratur? ſiccine fontes in ipſo maris imo, & magni maris tractus huius immunes, vt ea non contrahi vel permiſceri poſſint? Tantane vel pluuiis vel ventis inuehitur exhalatio, vt perennem illam ſalſedinem mari impertiat, vel terra e maris fundo eam eructet, vt nunquam deficiat?

Exſpuent illam fortaſſis Poetarum Styx, Acheron, Lethe, Cocytus, Phlegethon. Fingere quidem licet terram eo loci ad generandam huiuſmodi materiam optime diſpoſitam eſſe, vt ſemper, quod ab aqua conſumtum eſt poſſit reſtaurari. At continuus ille maris motus recrementa ad littora cum diffundat, qui non diſſiparet illa?

Non minus ergo aqua ſalſa & medicata ex Yle ad Yliadum prorumpit, haud aliter vt aqua dulcis: Vtriuſque enim eadem eſt ratio, eadem eſt neceſſitas, eadem vtilitas, eadem ſeparatione, in eodem ſeparationis ceterorumq; elemẽtorum puncto facta eſt, diei vnius penſo & ſequeſtrationis motu. Adeoq; iſta ratione res quælibet in aqua degens, in puncto momentoq; ſimul & vna per ſeparationem creata & perfecta eſt. Perfecta tamen ſeparatio elementi aquæ plane nondum facta eſt. Magna enim meſſe matureſcente ſeu apperente, noua quotannis creſcentia in elemẽto aquæ ſuboriri poſſunt; ita & noui fontes quotidie promanant, quorum aqua varias induit ac contrahit proprietates fructuum ipſius aquæ, quos

ſecum trahit vel reſoluit, & ſibi aſſociat, vt nihilominus appareat homogenea.

Quæ cum DEVS & natura hoc pacto producant, fruſtra Theophraſtum inconſtantiæ, aut ſcepticæ Socraticæque incertitudinis inſimulant Miſochymici, quod aliquando mineralibus aquis tribuat propriam primæuamq́; a mundi origine naturam: & alibi minerales naſci ex alumine, ſale, &c. in ſua vena immatura vel mixta doceat. Siquidem multis, imo quaſi infinitis modis aqua dulcis in mineralem ſeu medicatam aquam tranſmutari poteſt; cum hæc doctrina nullam inuoluat contradictionem.

Quis naturæ fines cohibere, & terminos præſcribere potis eſt? An ideo quia in primordiis productus eſt ignis, e ſilice non eſt eliciendus? Ita ſane non repugnat, medicatas ab initio fuiſſe productas aquas, & nunc quaſdam per mineralium reſolutiones vel commiſtiones in animantium vtilitatem ſcaturire.

Quot ergo ſunt aquarum fructus, tot ſunt & eſſe poſſunt mineralium aquarum genera: Hinc immenſæ aquarum medicatarum ſpecies, quæ nec vlla ingenii acie comprehendi poſſunt, Theophraſtus ad quatuor omnes genera reduxit.

Primum genus oritur ex metallis, quod in varia rurſus genera ſecernitur ex permixtione eorum, ſecundum pondus & numerum, & ætatem, & maturitatem & accidentia alia: idem de ceteris intelligendum eſt.

Alterum eſt lapidum & gemmarum: quot enim ſpecies ſunt gemmarum, tot noui aquarum ortus.

Aliud quoque genus eſt vitriolorum, aluminum, ſalium.

Aliud marcaſitarum, ſulphurum & [illegible] cõſiſtentiam ea conſiderando vel in coagulatione, perfectaq; forma, ſiue reſolutione & extractione.

Quicquid hic Misochymici obganniant, liquido constat, nullum lapidem, nullum metallum, nullam mineram esse, quæ per naturam & artificium non possit in aquam reduci ex conditione propria, etiam extra suam aream: quanto ergo magis & citius id fiet intra aream? Nihil enim homo in rerum dissolutione præstare potest, quod non similiter sciat ac queat ipsa natura: quin immo, quæ ars præstat, eadem natura ipsa in aliis multo operosius & dexterius conficit, vt naturę ars tua arte splendidior in omnibus & luculentior eminent.

Sic multa mineralia perfectæ generationis pereunt, quæ ab hominibus non effossa, æque diutius iacent, & in aquas mutantur; sic æque etiam alumina, multa vitriola in aquam vertuntur, quę nunquam inueniuntur aut effodiuntur: rediguntur enim in nihilum, hoc est, in id, ex quo sunt orta: ex aqua enim vt prodierunt; sic in aquam redeunt. Ita aqua ex lapidibus resoluta subtilis est substantiæ, lignorum poros penetrat: & sese rursus coagulat, vt lignum pro saxo cognoscatur. Pari ratione ex pisis & fabis fiunt lapides, & si quæ alia sunt, quæ aqua illa corrumpit: Eiusmodi enim aquæ ex se lapides sunt. Quoduis enim lignum, aut faba, &c. plusquam ex dimidio inanis est. Sic quicquid inane est, id lapidea ista natura completur, & suo tempore coagulatur.

Horum fontium ortus æque vt aliorũ perennis est. Eorum namq; semen ex Yle non deficit, sed humiditate adueniente præpeditum, in fructum non abit: Vnde libere profluunt, & non, vt Mysochymici cõtendunt, immensam vim in conceptaculis, spatioue vasto collectam esse necessum est; vt hi fluctus multum tempus sufficiant. Non aliter enim, vt ex minimo semine cupressi ingens arbor crescit, & se in aerem longe lateque diffundit; ita ex minimo elemento aquæ intra ter-

ram, metallica vena ducit originem, & ad Yliadum crescit, ac sese resoluit vel cogulat ad naturæ placitum: quæ eam ob caussam neutiquam suo conatu, ceu falso putant Misochymici, frustratur, nec imperfectos abortus in lucem emittit, cum semper aquam generet: lapides enim, metalla, sales, gemmę, nihil nisi meræ sunt aquæ.

Tot ergo cum sint fontium genera, quis exactam medicatarum seu mineralium aquarum scientiam promittere ausus fuerit: satis erit, si matricum mineralium naturam, & quæ in illis sata proueniant, cognoscamus.

Medicatas igitur aquas in Thermas & acidulas dispartimur: quamuis de istis in specie differere nostri non sit propositi; ea duntaxat referre instituimus, quæ ad inuestigandam noui fontis, Gratia DEI dicti, naturam, proprietatem & operationes facere videbuntur.

CAPVT IX.

Cur fontium quorundam aqua profluat calida?

QVamuis aqua suapte natura frigida sit: multis tamen locis per occultos meatus calida, alibi tepida, alibi feruida promanat & scaturit; quędam adeo calent ac efferuescunt, vt iniecta animantia reddant glabra. ex quo genere est Carolina, Wisbadenia, Sultzbergia, Piperina, &c.

Hasce aquas terræ sinu conditas calefieri, Misochymici focum æternum & Vulcaniam Æthnæam, ignibus actualibus perpetuam substerni cōfirmant. Multas gradu differentes thermas, pro corporis flagrantis vicinitate vel distantia, vel mora, vel celeri tardoue progressu scaturire, dum aquæ per æstuarium feruntur, aut in via flammis æstuiq; iunguntur, aut iuxta supraue per canales tam diu currūt, vt calefieri possint,

ſint,non eſt,quod quis dubitet. Conſtat namq; terras, in quibus ii defluxus viſuntur,abundare ignis fomite,ceu ſulphure, bitumine,naphta, halinitro, &c. & interius æſtuare aut inardeſcere. Vnde & aliquibus in locis, aquas calidas eructantibus,tali materia exhauſta, thermarum aquæ refrixerunt. Siquidem bitumen & ſulphur olent,eorumq; vires habent.

Incaleſcunt ergo aquæ per ſtufas, vt videre eſt circa Æthnam,Veſuuium, Ænarias, &c. vbi cum aqua etiam halitus ignei,& flammæ prodeunt; æſtuaria ergo ſubſunt.

Hæc quamuis ita eueniant, non tamen repugnat, licet id ſibi Miſochymici non poſſint imaginari,Thermas quaſdam ex permiſtione duarum cataractarum in Yliado primum incaleſcere: Balneæ enim reperiuntur plurimæ, quas ſi vlnarum aliquot profunditate ſuffodias, deſtrui & corrumpi viſurus ſis. Quod ideo fit, quia cataractæ corruunt: Inueniuntur enim duæ aquæ frigidæ,quæ dum permiſcentur,primum incaleſcunt.

Quando namq; Archæus gluten ſeparat, vt in ſua operatione & forma, ſalium inſtar, conſiſtat;tunc ſi liquor in Yliadum tranſit, & communem aquam acetoſitatis attingit, ſimul ſubſiſtere nequeunt, citra corruptionem vtriuſque naturæ : cuius hæc eſt conditio , vt oporteat mixturam illam ebullire,ſicut ebullit calx admiſta aqua;aut fortius,vt ſulphur & magnes; aut adhuc fortius,vt aqua fortis & tartarum:quin & repentina aqua fortis, in qua ferrum ſolutum, & olei tartari mixtura fulgurat, & flammas eiicit. Quando ergo aquæ, huiuſmodi ſpiritibus refertæ conueniunt, vaporem & feruorem cieunt, pro vt copioſi & fortes ſunt, efferueſcuntque vſque ad Yliadum. Tale quid in artificum Vulcania dum palam ipſis oſtenditur euenire, negare non poſſunt Miſochymici: Sed idem in naturæ officina contingere negant; cum

duntaxat ob caussam, quod fluxus ille perennis esse non possit. Id vt ignaris persuadeant, in Theophrastum egregie comminiscũtur, eiusmodi cataractas alluuie calcis, Salis, aluminis, &c. tales sibi adsciscere spiritus; qui sane, si ita constituerentur, cito aqua absorberentur: vnde eiusmodi Thermæ subito euanescerent, nec ad multum temporis durarent. Hoc Misochymicorum commentum & purum mendacium, vnicuique effutire facile, sed probare difficile est. Nunquam enim Paracelsus hasce cataractas attritu calcis, salis, aluminis, calcanthi, &c. oriri docuit; sed aqua hæc non minus quam alia ex Yle spirituosa & acetosa, diuersis ex venis promanat: quæ dum fortuito sese offendunt, ex ipso congressu efferuẽscunt, & id, quod illis ante compositionẽ seu coniunctionẽ & vnionem non inerat, consequuntur. Friuola siquidem est Misochymicorum assertio: Quod nulli parti ante cõpositionem inerat, id composito inesse non potest. Quasi vero non possit corpus graue aut leue esse, quanquam nec materia nec forma (ne dissimules suis labris lactucas, insuetumq́; naribus suis amaracinum admoueant) cum solitarium vtrumq; fingant, & res ex iis componi asseuerent, sint eiusmodi. Nonne gallæ cum vitriolo producunt atramentum, cum neutrum nigrum sit: Sic etiam Sal armoniacum & vrina colorem nigrum caussant cum tamẽ ambo sint alba. Aqua vitrioli cum Sale armoniaco destillata, moschi refert odorem, quorum tamen similem per se neutrum habet; Ita & duæ diuersæ cataractæ commixtione & vnione efferuescunt, quamuis ambæ frigidæ. Quæ cum virtutes suas & immixtos spiritus ex resolutione calcis, salis, &c. non trahant, sed ex Yle tales scaturiant, nihil obstat, quin eorum fluxus non sint perennes. Nihil ergo præter mendacia Misochymici commentantur.

Capvt X.

Cur fontium quorundam aqua scaturiat acida?

PLurimi in Germania fontes acidi prosiliunt; quales sunt Vberlingensis in Vlmensium ditione prope Geislingam: Nideravensis prope Rotenburgum ad Neccarum: Deinachensis in Hercinia sylua, passibus mille distans ab oppido Kalb: Kissingensis in Franconia: Langenswalbacensis prope Moguntiam: Egranus in Sudetibus, &c. Harum aquarum scaturigo ex metallorum, lapidum pretiosorum, salium & marcasitarum resolutione profluit.

De quibus scitu necessarium est, quem gustum quoduis metallũ præbeat. Aurum & plumbum, dulcedinem: cuprum ferrumq; aciditatem: stannum & argentum medium quid redolent: alumen aquis solutum eas facit acidas cum adstrictione: Vitriolum solutũ est adeo acidum, vt stuporem dentibus maximum inferat: ab hoc parũ distat sulphuris spiritus per campanam factus. Hæc & similia, siue antequam coagulentur, siue posteaquã tempestatum vi resoluuntur; vel dum æstu torrentur, vel comburuntur, spiritus acidos mittunt, & acidulas efficiunt, quarum scaturigo recta sursum in Trival (vt ipsius Monarchæ verbis vtar) ascendit; aqua vero dulcis propter leuitatem & subtilitatem congenitam a suo Trival in latere excidit.

Salis porro multa genera terræ plena, & multis coloribus distincta, humiditate resoluuntur, & in aquam transmutantur, quæ si ad Yliadum peruenit, persæpe se coagulat: Vnde iuxta acidulas varii coloris lapides reperiuntur, quæ aquæ compositionem arguunt.

Hinc varii fontes, varia natura præditi.

Aliorum aqua vel carnes, vel pisa non coquit; propter alumen adeo crudum, vt si in aquam cum vitriolo ponatur, nihil

probe elixari, & ne dum saccharum liquari sinat.

Aliæ aquæ non soluunt sal.

Aliæ ferrum corrodant, & in cuprum mutant.

Perniciales sunt, quæ mineras habent, Cadmiæ venenosæ, arsenici, chrysocollæ, gypsi multi, auripigmenti, sandaracæ, nimii sorios, misyos, melanteriæ, copiosi sulphuris, aluminis, calcis, &c.

Gypsiæ aquæ potæ strumas pariunt: quamuis Mercurialis halitus & aquas hydrargyro infectas gutturosum quid procreare, multi arbitrentur.

Alia strumas aufert, vt aqua Zaharovicensis in Morauia, constans calcantho, bitumine & sale.

Aliæ cutem & vngues detrahunt, vellera pecudum mutant.

Quædam purgant, vt salsæ, nitrosæ, vitriolatæ, &c.

Quædam adstringunt, vt ferratæ, aluminosæ, &c.

Quædam vinosæ ructus musteos gignunt.

Aliæ, vt Swalbacensis, vini nauseam creant.

Aliæ halitu copiosiore strangulant aut lipothymiam inducunt.

Venenis resistunt, quæ aurum continent, Cyanum, Smaragdum, pyropum, aliosq; lapides pretiosos: item quæ Armeniæ bolum, ebur fossile, succinum, petroleum, & id genus alia commista retinent.

Catarrhis medentur magnes, hæmatites, ophites, argentum, alabastrum, &c.

Acidæ, vitriolatæ & salsæ appetitum conciliant ventriculo.

Thermæ sulphureæ ad crura œdematosa multum conducunt.

Aquæ ferreatæ, aluminosæ, gingiuas & dentes firmant.

Ex

Ex calcinatis resolutæ, insipidæ sunt, non facile corrumpuntur, oculorum nubeculas, hebetudines & glaucomata tollunt, arthriticis, chiragricis ac podagricis conferunt, dolores demulcent, & membra roborant.

Sunt porro aquæ, quæ impinguent, omnibusque visceribus bene conducunt. Certum namque est, salem mediocrem & nitrum pingues reddere, & non tantum lætificare pascua, sed & bestias hominesq; adipum luxuria augere.

In Volaterrano fons est nitrosus, qui detersa visciditate, steriles facit fœcundas.

Aqua Auerni lacus in Campania prope Baias adeo noxia est, vt transuolantes aues interimat.

In lacu Auerno folia subsident.

Lacus Alcyonum apud Lernam, omnia ad imum magna vi attrahit.

In lacu Siciliæ Agrigentino nihil mergitur, omnia fluitant.

In Salentino, iuxta oppidum Mandunam lacus ad margines plenus: aquis haustis neque imminuitur, neque infusis adaugetur.

In Troglodytis lacus est, qui ter in die fit amarus salsusq;, ac denuo dulcis; totiesq; noctu.

Alius in India, qui sub lucem tepentibus aquis manat: meridie frigidus est: vesperi calet; media nocte æstuat: hinc deferuescere incipit, & sub diei exortum rursus tepidior fit: sic alternis vicibus nunc calorem subit, nunc frigus, mira vicissitudine.

Nusquam natura plura, quam in aquis, fontium præsertim ac fluminum, miracula detegit; quæ singula persequi, non est instituti præsentis.

Capvt XI.

Quibus mediis in aquarum medicatarum cognitionem deueniamus.

MEdicatarum aquarum naturam inuestigaturo, contemplanda sunt in primis, quæ foris circa fontem visuntur, siue extrinsecus ipsum ambiant: Deinde aquam ipsam ad sensuum examẽ reuocare separationis opera, quam Chymia sola suppeditat.

Inter externa primo omnium cœli constitutio cõsideranda est. Nec pseudomedici inficias ire possunt, quin astra manifestum in elementarem regionem ius habeant, aquas motu suo cieant: Luna, Syrius, Pleiades, Orion, aliorumque siderum ortus, accessus & recessus, maxime in trigono aqueo cataclysmos subterraneos, & immensam aquarum vim euomant.

Testatur hoc Cyane fons, quam cum Luna crescere ac diminui fatentur vnanimiter omnes.

Quod si motu cœlum tantum suo valeat, vt ipsi fontes obtemperent, & ad eum sese accommodent: procul dubio idipsum etiam alias vires & proprietates stellarum fonti oppositarum ingenerabit. Omnem namq; e cœlo virtutem deriuari, Aristoteles non diffitetur: *homo*, inquit, *& cœlum generant hominem.*

Aer loci, in quo mineralis aqua iudicio pręsenti commissa, quęq; in illo tractu comprehenditur, si est vapidus, nebulosus, pluuius, absq; dubio aquam proxime ambientem, simili qualitate contaminabit.

Quocirca sedulo aduertendum est, an illius generalis tractus aer incommodet valetudini, an certorum locorum, veluti pagorum, piscinarum, cellarum, hiatuum terrę, specuum, puteo-

puteorum, officinarum metallicarum, vapor & exhalatio aerem & fontem contaminent, an e profundo in lucem per vim propellatur, vel procul veniat, e monte ſcaturiat, vel in valle proſiliat.

An terra ſit ſolida, concaua, rara vel ſpiſſa, nuda vel arboribus ſtirpibuſve veſtita, ſterilis vel fructuoſa, humida vel ſicca, culta vel inculta, habitata vel deſerta, pinguis, ſulphurea, bituminoſa, tenax, &c. vel aluminoſa, ſalſa, marmorea, glareoſa, arenoſa, &c.

An rores diſſipentur, niues facilius liqueſcant, gramina & arborum folia frequentius madeant, iuſtam arbores proceritatem conſequantur, nigreſcant, putreſcant, cariem ſentiant, fungos, plantaſq; concipiant & foueant, aſpergines metallicas contrahant, breuiq; inareſcant, & exſiccatæ ſint.

An in ſpeluncis & luſtris magnæ glirium, melium, ſerpentum phalanges latitent, veſpertiliones, noctuæ, & id genus aliæ volucres lucifugæ in iiſdem nidificent; ex quorum omnium fimetis nitroſæ calcantoſæque ſuboriantur concretiones.

Quæ fonti porro adhærent vel adiacent, negligentia prætereunda non ſunt, vt, lapides, lutum, glarea, ſpumæ, &c. an fortuita ſint, vel aliunde illata, an vero ad fontis generationem concurrerint.

Lapides in iis reperti ſoluantur, calcinentur, & permutationis gradus diligenter examinentur.

Pinguia quæ nõnullis innatãt, bitumen & ſulphur produnt.

Spumam albam, nigram, rubeam, citrinam, &c.

Cineres, calces, bitumen, ſulphur &c. pariunt.

Si puteorum latera muſco, nigra, glauca, viridive aſpergine obducantur, imbecillis iudicatur vis mineralis: fortis enim aqua mineralis eiuſmodi putredines auertit, &

eorum loco pariores lapidescunt salium concretione.

Fluuii prçterlabentes ortu vel confluxu non raro quid communicant.

Animalia fontis quoque salubritatem adaperiunt. Obseruandum igitur est; an pecora fugiant aquam vel bibant; pisces emoriantur necne, homines eam potitantes an male habiti & decolores appareant, an endemio seu patrio cuidam morbo sint obnoxii finitimi. Hæc externam fontis mixturam reuelant.

Interna vero anatomia ipsius aquç luculentiorem atq; certiorem parit cognitionem, quam sola Chymia recludit, cuius opera & artificis industria mixta corpora in suas partes membraue diffinduntur; quod variis quidem modis ab ipsis fieri potest, dum vel leni primum calore, præmissa putrefactione, spiritus euocant: Mercurialem postmodum liquorem maiori ignis vehementia extrahũt, corpus in fundo cucurbitæ siccum calcinant, reuerberant, resoluunt, purificant, sublimant, coagulant: in singulis vero solutionibus & elaborationibus exquisite colores, odores, sapores ruminant, vt ex quo resoluti metalli, lapidis vel salis, vel eachimiæ genere sit, cognoscant.

Oportet vero indagatorem metallorum ac fossilium omnium esse gnarum, vt eorum transmutationes cognoscat: eiusmodi namque examen, igne potissimum intensiore institutum, varias alterationes introduxit, quæ nonnunquam expertes latent.

Non minus idoneis ipsum instrumentis instructum esse necessum est, vt varias vno simul momento operationes perficiat, & in maiori quantitate probationem instituere possit. Huic rei subiectum vasculum iudicamus aptissimum, in quo magna aquæ quantitas irreseratis instrumentis fissuris in sua potest resolui principia.

Præsto.

Præsto igitur sit furnus cum vase testaceo, arena repleto, & cucurbita, quæ infra opificium canalem habeat porrectum, qui nodo quodam vitreo, foramini apto possit occludi & aperiri, cum necessitas exigit: supra hanc cucurbitam ponatur alembicus rostratus, in acumine peruius, huic imponatur vitrum circulatorium, hoc est, tribus vel quatuor circulis in altum porrectnm, ei agglutinetur alembicus rostratus, non nodosus, sed planus in altum porrectus, similiter in acumine peruius alembici rostro annectatur fistula quædam vitrea, crassitudine vnius digiti, perforata in vtroque latere: in alterum foramen fistulæ inseratur rostrum alembici, & transeat vasculum ligneum, aqua frigida refertum: altera pars e vase prominens excipulum sustentet: hunc alembicum planum, pervium & rostratum concludat & cooperiat cœcus, vt in subiecta figura cernere licet.

A. Furnus.
B. Vas testaceum arena repletum.
C. Cucurbita aquam medicatam continens.
D. Canalis cucurbitæ vitreo nodo obturandus.
E. Nodus vitreus canalem cucurbitæ obstruens.
F. Alembicus rostratus inferior.
G. Vitrum circulatorium.
H. Alembicus rostratus planus.
I. Fistula superioris alembici rostro agglutinanda.
K. Vasculum aqua plenum fistulam excipiens.
L. Alembicus cœcus, rostratum cooperiens.
M. Vitrum superioris alembici rostro apponendum.
N. Excipulum inferioris alembici rostro agglutinandum.



His ita paratis impleatur cucurbita aqua medicata, paullo vltra medietatem ſubmergatur in arena exſiſtente in teſtaceo vaſe clauſis vndique fiſſuris; carbonum ignis in furno ad primum infletur gradum: caliditas illa agit in cucurbitam, & calefacit aquam, e qua efferuntur continuo ſpiritus ſubtiliores, exitum in alembico cœco petentes, nec inuenientes, per alembici ſuperioris roſtrum egrediuntur; a frigiditate fiſtulæ denſantur, & in aquam limpidiſſimam vertuntur. Hic alembicus, quia planus eſt, etſi cœcus vapores quoſdam ſimul aſcendentes in aquam vertat, in inferiorem illa prolabitur, ita vt per fiſtu-

lam

iam ſubtiliſſimum ſpiritum, a fæcibus plane mundum habeas, quem citra huius inſtrumenti vſum variis deſtillationum reiterationibus a fæcibus mundare debebas. Et hac ratione cognoſces, qualeſnam ſpiritus fuerint cum aqua permiſti, qui ſe odore, ſapore, colore, &c. produnt.

Eo euacuato maior ignis gradus prouocetur, quouſque omnis aqua fuerit conſumta, quæ interea multoties vaſe circulatorio a calore propellitur, vt maturetur, ac ſulphur vna cum Mercuriali cremore ſe per inferioris alembici roſtrum in excipulum deſtillet, quibus iam ſeparatis, igne vrgente, a fæcibus in fundo relictis, ſal ſeparabit ſe, & cæco alembico adhærebit?

Hoc pacto vnius diei penſo, aquæ medicatæ ſeparationem perficies, cui labori alias per multos dies inſudandum erat: Inſuper te hoc onere ſubleuat, vt ſi maiori quantitate deſtillationem continuare velis, opus non ſit, omnes aperire fiſſuras, ſed ſolummodo nodum cucurbitæ canalis (tunc non eſt opus ad ſublimationem ignem vrgere) extrahe, & per tritorium aquam iterum infunde, & probe obtura: idq; repete, donec iuſtam habeas quantitatem.

Sedimenta in cucurbitæ fundo relicta, ſupra laminam ferream poſitam, & candentem bene trita inſperge: hoc modo facile cognoſcitur cinis, marmor, gypſum, calx, ſulphur, ſal, nitrum, alumen, ceruſſa, &c. Calx, marmor & gypſum non exuruntur, ſed remanent, & fiunt candidiora. Sulphur, ſi adhuc adſit, eliquatur, & ſuum refert odorem: Sal & nitrum ſcintillabunt & comburentur. Sal ſcintillabit & crepabit ſimul. Nitrum ſcintillabit ſine crepitu. Ceruſſa ſi adſit, ſedimentum fiet rubrum.

Calcanthum an aquæ mistum sit, hoc modo facile cognosces. Locupletem quantitatem in vase vitreo vel stanneo parum coque, decocta quiescat, & denuo parum coquatur, mox in ipsam iniice succum vel decoctum gallarum pauca in quantitate, etsi cum aqua aderit mistum calcanthum, videbis aquam illico fieri nigram.

Aliud experimentum, quo cognoscitur álumen, est, vt aqua colore atro tincta inspergatur supra sedimentum, & si alumen inerit, color ater ille reddetur statim clarior & illuminabitur: si vero non insit alumen, color non redditur lucidior.

Metalla medicatæ aquæ immista, ex sedimento in cucurbita relicto, hac ratione cognosces. Supra sedimenta ignis calore exsiccata, insperge acetum acerrimum, quo assumto & imbibito, obseruandum est, an sedimentum ferruginem ex se sublimauerit, ferrum: si æruginem æs: si albedinem, cerussæ instar, stannum vel plumbum: si viridem colorem refert cuprum; si lazuricum, argentum indicabit: auri iudicium nullum apparet, nisi proprio aceto, nempe balsamo naturali sedimentum irroretur, quo in excrementum nullum, sed totum conuertitur in vnam essentiam: quia putrefacit, corrumpit, generat ac perficit, & tres apparere facit colores principales, nigrum, álbum & rubeum.

Aquarum ergo medicatarum iudicium, industrium, solertem ac circumspectum requirit indagatorem, vt ex concursu plurium signorum prædominantis mineræ certitudinem venetur.

Patronymicum tamen signum de mistura aquarum medicatarum sumitur ab effectu, vt luculenter docet Paracelsus Tom. 7. tractat 4. de naturalibus balneis Thermarum,

Thermarum, inquit, omnium natura, materia & proprietas cognoscitur; vt cognoscantur arbores; illas quis nosceret, si fructus non ferrent? sed ex fructibus cognoscitur illarum natura & proprietas; item qualis ea sit arbor. Sic quicquid in natura alias praesto est, ex fructibus cognosci debet, ipsa veritas CHRISTVS nos adhortatur, ne seducamini, vt his intendamus.

Quanta, proh DEVM, audacia progrediuntur Misochymici, vt Paracelsi iudicium de effectis prolatum, stultum & ineptum proclament: Omne inquiunt, morborum genus fere ex tartaro Paracelsus conficit. Tartarum in mineralibus non est, nisi similitudine: Ergo ab effectu non cognoscuntur thermae.

Profecto vacillat hic ratio, syllogismus, & propositionum veritas. Sole clarius est, non vnum genus morbi, sed triplex, & vnumquodq; eorum quintuplex, Theophrastum statuere.

Tartarum esse salem lippis tonsoribusq; notum est.

Diuersorum fontium aquam eundem edere effectum, quid obstat, quin non ab effectu mineram eorum cognoscam? Esto, quod multę purgent, nonne omnes homines rident; sed quid impedit, quin minus Misochymicos impios & inuidos in Theophrastum Dei famulum, prae caeteris esse ex effectu diiudicem?

Ita sane, vt Misochymicis proprium est, opprobriis Theophrastum incessere; ita quilibet fons proprium sibi habet, quo cognoscatur; minerae scilicet proprietatem in ipso praedominantis. Hinc etsi sal purget, vitriolum purget, &c. hoc tamen a sale differt, quod interna recrementa colore nigro inficiat, alumen ea inclarescat, hoc morbum regium, illud epilepsiam, sal febrem tollat.

Hinc patet incumbere medico, vt vniuscuiusque mineræ vires & proprietates præcognitas habeat. Cuiuscunque igitur mineræ aqua medicata edit vires, ea in ipsa prædominatur.

CAPVT XII.

An omnis aqua ex tribus primis corporibus, Mercurio, Sulphure, & Sale, sit composita?

AQuam ex tribus primis corporibus productam & compositam esse, genesis eius, proprietas & analysis arguunt. Sicut enim DEVS vnus & trinus; sic omne, quod a DEO & archetypo factum, vt vnum & trinum sit, est necesse. Nam mundus ab ipso factus triplex est, Angelicus, cælestis & elementaris: triplex itidem mundi subiectum, pulchrum, variabile, & necessarium. Sulphur subiectum est pulchritudinis: Mercurius subiectum mutabilitatis, Sal subiectum necessitatis: vt vel sola hæc prædicatio veritatis sit æuiternæ: *Omne quod est, vnum & trinum est.*

Ita Sulphur vnum & trinum; congelatum, vt succinum: resolutum, vt oleum: coagulatum, vt bitumen, resina, &c. in vnum tendens finem, ignem: vnum calidum Sulphur. Mercurius vnus & trinus: sublimatus, resolutus, præcipitatus. Quamuis Mercurius, cum Messiæ typum referat, duplex sit in natura, pneumosus & cremosus; ideo fluctuat & madescit, in duos tendens fines, aerem & aquam, siccus & humidus Mercurius. Sal demum vnus & trinus, reuerberatus, resolutus, calcinatus, in vnum tendens finem, terram; vnum frigidum Sal.

Hæc ab vno & trino in perfectissimum numerum abeunt denarium, quo nec citra nec vltra progrediendum est in rebus creatis: ideo in decē vniuersa Philosophi redegerunt, non puto decē πράγματα vel ὀνόματα vel φωνάς, sed decem ex tribus primis

videlicet

videlicet, sulphur coagulatum, sulphur resolutum, sulphur coagulatum: Mercurium cremosum, pneumosum, sublimatum: Sal reuerberatum, resolutum & calcinatum.

Hæc decem res omnes ac totum vniuersum constituunt: ex his solum vniuersa illa omnium entium pulcritudo, multitudo ac singularis entitas: hinc omnis virtus & mirabilis operatio pendet: horum virtutes a nullo vnquam satis explicari possunt: quia omnia possunt in omnia. Et licet ex vno & trino in decem dispartiantur; ita tamen hæc tria Arcano in ipsis occultantur, vt sensuum iudicio, haud secus ac numeri in infinitum, vnitate & trinitate permanente, multiplicentur, vt in Isagoge nostra est explicatum.

Aquam tertio expolitionis die totius vniuersi a Deo in terræ sinus reconditam, nemo inficias ibit. Ex tribus ergo primus constituta est.

Nam prima corpora solo Dei nutu absque vlla sermonum commutatione in principio sunt creata: tertia vero die diuina maiestas dixit: *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum*, &c.

Ex quibus constat, liquorem Mercurialem antea creatum fuisse, qui nunc imperio diuino in mare recessit. Quod namque congregatur, vt prius exstiterit est necessum; alias congregari non potuit.

Alia igitur actione tria prima corpora sunt creata, alia ex iisdem aqua producta, ad suum currens Yliadum. Nec idipsum philosophos præterit, quod hoc pacto probant.

Quicquid educitur e potentia materiæ, subiectum praexsistens requirit.

Forma aquæ educitur ex potentia materiæ.

Ergo forma aquæ subiectum praexsistens requirit.

At præter mirabilitatis, pulchritudinis & necessitatis subiectum nullum fuit elementis prius:

Ergo ex illis forma aquæ, tanquam e subiectis præexsistentibus producta & constituta est.

Nemo vero, nisi insanus, inficiabitur formam, totam aquæ essentiam, integritatem & perfectionem esse: Quare & ipsam perfectionē & integritatē aquæ ex Mercurio, sulphure & sale componi necesse est. Huius namq; elementi forma eiusmodi non est, vt natura sua postulet fieri eadem actione, qua fit materia; sed potius supponit materiam creatam per propriam & distinctam actionem, & per aliam in eam inducitur, etiam in prima aquarum conditione. Ergo illa actio, qua inducitur forma, non potest esse, nisi vera eductio.

Perspicuum etenim est, aliam ad creationē, aliā ad elemētorum productionem cōcurrere actionem: quia alia est actio, qua fuit producta hæc pars aquæ, & postea hæc aqua corrumpitur, & conuertitur in lapidem, cessat actio, quantum ad illam partem, per quam conseruabatur forma aquæ in illa materia, & loco illius succedit alia, qua inducitur forma lapidis in eandem materiam: actio vero terminata ad entitatem materiæ, semper manet eadem.

Quare distinctæ actiones hæ non productionem elementorum e *Mysterio magno*, sed eductionem e primis corporibus manifestant. Nam creatio vnicam duntaxat actionem, solam nempe DEI dependentiam requirit: ideo creatio & conseruatio vna eademq; est actio.

Præterea in concessis est, materiam non tantum aquæ, sed & cæterorum elementorum ex se esse separabilem a qualibet forma [illegible]. Ergo sub eadem materia possunt variari actiones [illegible], & ideo actio, per quam talis materia fit & conseruatur, distincta est, & natura sua præsup-

ponitur, ad quamcunque actionem inductiuam formæ. Siquidem de ratione eductionis est, vt subiectum prius tempore antecedat: quod recte indicauit D. Augustinus, *materiam de omnino nihilo, mundi autem speciem de informi materia facta esse*: Nulla autem materia tribus illis primis prior est creata.

Quamobrem forma aquæ ceterorumque elementorum hæc tria prima informauit, hoc est, Africanum per mutationis gradus introductum, prima tria corpora occulit, vt obtuitum sensuum fugiant: hoc enim hæc tria aliena figura & forma seu apparentia splendere facit; verbi gratia, arborem, fumum, aquam & cinerem esse plebs neget.

Composita igitur est aqua ex illis, tanquam ex principiis constitutiuis & inexsistentibus.

Quorũ porro proprietates res habet, ex iisdem constituta & composita est: nunquam enim aqua vinosa erit, nisi de vino participet; nec erit mobilis res, nisi sit corporea: nec erit alia malleo ductilis, ponderosa, citrina, splendida, fusilis, cinericii examen & cementi tolerans, quam argentum & aurum. Sed aqua sulphuris, Mercurii & salis proprietates habet, & a se exserit ac fundit. Ergo aqua sulphuris, Mercurii salis est composita.

Alius namque est proprietatis, qua suo non clauditur termino, alterius qua humida est, alterius qua liquida exsistit, A Mercurio interminabilis est; a sale resoluto humida, a Mercurio resoluto liquida.

Quadruplex enim est humidum aquæ.

Primum ipsi consubstantiale, antipathiam cum igne habet, a quo aere interiecto separatum est. Aliud a Sale resoluto possidet id, quoties igneo calore absumitur, in are-

nam transit. Tertium aquæ humidum sulphuris resoluti est, id gelu hyeme constringitur. Si enim id substantiale esset, quoties cõgelasceret, aqua corrumperetur: Sed nõ corrumpitur: nam sole aduentante liquescit, & in eandem aquam resoluitur. Aliunde ergo humidum id prouenit. Sed hæc proprietas sulphuri competit; illud enim frigore concrescit, & calore soluitur. Ergo a sulphure hanc proprietatem habet aqua.

Quartum aquæ humidum a Mercurio prouenit, non in quantum liquor est, sed quia spiritum præbet aquæ, quo nullo termino clauditur; eo si destituatur, motum amittit & putrescit aqua. Hæc autem proprietas Mercurio competit: is etenim omnia mouet, perflat, viuificat, & suo interminabili spiritu permeat.

Aqua ergo cum proprietates & effectus sulphuris Mercurii & Salis edat, ac in se reconditas habeat, vt ex iis composita sit oportet.

Quod si ignis ex sulphure, Mercurio & Sale sit compositus, cur eandem coniunctionem aqua respuet? Ignem vero ex iis esse conflatum, diuersæ eius actiones edocent. Quod ignis vrat, a Sale habet, qui corpora non minus quam ignis corrodit, comminuit, ac in ἰχῶρας vertit. Quod luceat ignis, Mercurii opus est & actus, qui perpetuo lucet, quamuis nec flagret, nec vrat: ideo lignum putridum, agaricus & eiusmodi similia noctu lucent. Ardor demum a sulphure promanat, cuius proprium est ardere; vt in bitumine cernere licet, quod flagrans aqua non exstinguitur: Quin immo nullum corpus sulphure orbatum ardere potest: Vnde quicquid est flammabile est, sulphur habet. At ignis est flammabilis, quin immo ipsi est flamma: sulphur ergo in se continet.

Ceterum cum actiones hæ diuersis in subiectis reperiantur:

tur, diuersę ac distinctę plane sint, a simplici corpore & forma prouenire nequeunt. Simplex enim corpus simplicem edit actionem: diuersitas vero actionum, diuersitatem materiei ac organorum postulat. Ignis ergo non simplex est, sed ex Mercurio, sulphure & Sale, quorum actiones edit, constat.

Nihil ergo prohibet, cur aqua non ex iisdem corporibus sit composita, cum & reliqua elementa ex iis sunt constituta.

Analysis aquæ demum id demonstrat. Aquam vitro pleno, per sigillum Hermetis concluso, Soli calido per mensem si exponas, vt quotidianum similemque calorem habeat, ac si fere bulliret; tempore hoc transacto putrefiet: post aperi, destillaque per alembicum duorum rostrorum, Mercurii spiritus in subtilissimam aquæ substantiam per superius rostrum in receptaculum subsidebit; eo leni igne ita euocato, intẽsiore igni sulphur, olei instar, cum liquore Mercuriali per inferius rostrũ in suum distillabit excipulum: terrestris vero materies in cucurbitæ fundo remanebit, quæ si calcinetur, perfectam Salis substantiam referet. Hæc cum quotidie ipso experimento demõstrari possint, vt nuda & sola separationis opera verum sulphur verum liquorem Mercurialem, & verum Salem ex aqua elicitum palpare, gustare, olfacere & videre queas; non negabis aquam ex sulphure, Mercurio & Sale esse conflatam.

Ex iis namq; res componuntur, in quæ postliminio resoluuntur; Quid aquã, cum in sulphur, Mercurium & salẽ resoluatur, ex iisdem compositam dubitabimus?

At dices: Si sulphur inhæreat aquæ, cur non flagrat? si Sal ipsi congenitus est, cur non vrit? Quasi vero liquorem Mercurialem in ipsa prædominantem nesciamus, cuius humidum ipsi consubstantiale est, quod aquam ardere non sinit: In eius vero aquæ specie, vbi Mercurialis liquor nõ præ-

dominatur, ea quoq; accẽſa flagrat: Sic vinum deſtillatum aquam nemo diffitetur; nihilo ſecius tamen id ipſum ardere & flammam edere, quoties placuerit, ſi flammam ipſi admoueas, videbis.

Similiter Sal aquæ, Sal reſolutus eſt; ideo nec corrodit, nec in ἐσχάραν corpora vertit, humiditas eius propria impedimento eſt, quin vrere poſſit. Sal namque calcinatus cutim exulcerat, reſolutus non item.

Prima itaq; corpora, prout a natura elaborata ſunt, elaborantur: aqua quapropter, cum ſal eius reſolutus eſt, nõ adurit.

Capvt XIII.

Num aquarum medicatarum virtus ex ſulphure, Mercurio & Sale oriatur?

Omnem virtutem ac potentiam ex ſulphure Mercurio & ſale deriuari, ſi ex natura ſua propria conſiderentur, ex ſupra dictis facile colligitur.

Verum cum hæc tria prima diuerſimode, iuxta ſeptem mutationis gradus mutentur, alterentur & coniungantur, accidit, vt hac vnione proprium arcanum cuilibet innaſcatur corpori, quod ſuam virtutem propriam, mediante craſi ſeu temperamento, quod indiuidualis actionis cauſſa eſt, exſerat.

Hinc difficultas oritur, an aqua medicata, mediante ſulphure Mercurio & ſale, quadantenus aqueũ corpus conſtituat, ſuas operationes perficiat necne?

Nos negatiuam partem amplectimur, eo quod omnes aquæ eiuſdem eſſent virtutis: Omnes etenim aquæ Mercurii, Sulphuris & Salis ſint compoſitæ, atq; eam ob cauſſam omnes eſſent medicatæ; quod a veritate diſcrepat.

Nam

Nam aqua, quatenus ex Sulphure, Mercurio & Sale est cõposita, nobis alimento est; quoniam sulphur eius est purificatum, in sua essentia liquidum, non coagulatum, nec congelatum, nec exustum, calorẽ a Sole participans, ideo agens omnium virtutum rector, ignis, balsamus, aer, calor cœlestis, calidum innatum dicitur. Ipse vero liquor Mercurialis omnis alterius affectionis expers, omnem cremorẽ ac dulcedinem continẽs, nec præcipitatus nec sublimatus: ideo aqua perennis, lac virginis, azoth, humor vitæ, humidum innatum radicale, congenitum, primogenium cœleste, &c. vocatur. Talis videtur hordei cremor, quem ptisanam appellant, febres ardentes extinguens [illegible] virtute prægnans cereuisia e tritico cocta, quam nos [illegible] nostro idiomate Breuhan vocamus, corpora [illegible] podagra, chiragra, arthritide immunia ac libera, [illegible] staturam proceram ac perfectam promouens.

Demum ipsius aquæ Sal nec est acris, nec vrens, nec calcinatus, nec reuerberatus, sed dulcis & [illegible]; ipsius aquæ nexus & vinculum, ideo carcer nũcupatur, quod Mercurium & sulphur aquæ occludat: item catena aurea, eo quod prædicta connectat ac ornet.

Hoc pacto constituta nobis alimento sunt: quod si ab hac temperatura, vt in multis videre est, deflectant, alimenta non sunt, sed venenata vel medicata. Nec ambiguum est, quin in omni re continente ac indiuidua, & plus & minus, & æquale aliquid sumere liceat; sed quidquid æquale est, medium quoque videtur esse inter excessum & defectum: at quod medium est, & optimum & conuenientissimum omnium confessione iudicatur; vti econtra excessus atque defectus, cum a medio deficiant, pro malis & imperfectis habentur.

Tria ergo prima, scilicet Mercurius, sulphur & Sal, quamdiu medium seruant, optima & conuenientissima, nobisque alimento sunt; si vero ad defectum vel excessum vergunt, pessima. Mercurii excessus, est eius sublimatio; defectus præcipitatio. Sulphuris excessus est eius congelatio, defectus coagulatio, Salis excessus reuerberatio, defectus calcinatio.

Quoties ergo aquæ sulphur Mercurius & Salis a medio recedunt, venenosam induunt qualitatem: Hinc alia aqua alimentalis, alia venenata, alia medicata: & hæ variæ, iuxta varios sulphuris, Mercurii & Salis excessus vel defectus gradus.

Ex his omnibus constat, vim medicatam non prouenire ex sulphure Mercurio & Sale ipsius aquæ, in quantum corpus constituunt, & nobis alimoniam subministrant: cum vis medicatiua ab excessu vel defectu horum corporum dependeat, & non nisi a corporis alicuius medicati, hoc est, excessum primi cuiusdam corporis habentis, commistione vel resolutione proueniat.

Erroribus itaque patet, hinc inflatos omnes illos, qui virtutem huius fontis medicatam a sulphure, Mercurio & Sale, oriri autumant: cum nec ipsi diffiteantur, liquorem Mercurialem in huius aquæ mistura prædominari, ita vt non nisi e magna quantitate eius sulphur & Sale possint ab illo segregari: Quod si ita est, necesse est, vt parum sulphuris & Salis cum magna liquoris quantitate sit commistum; & consequenter, minor aquæ dosis exhibita, non sanaret corpora: Sed huic ipsa refragatur experientia. Aqua namq; fontis huius in exigua quantitate, instituta ad alias medicatas aquas analogia, exhibita sensibiliter operetur, & naturam ad eiectiones exstimulet.

Multum ergo corporis cuiusdã medicati vel spiritus huic aquæ

aquæ inesse oportet, & consequenter instituto vero examine idem ab alimentalibus succis e minori quantitate separari potest, vel alio iudicio inuestigari.

Quicquid enim in maiori quantitate reperitur, idem proportione instit ita, ex minori elici, & ad sensuum examen reuocatum, iudicium de ea constituere potest.

CAPVT XIV.

Quid discriminis sit inter aquam alimentalem, medicatam ac venenatam?

AQuarum medicatarum, venenatarum ac alimentalium ex earundem genesi & effectu satis innotescit discrimen. Quam homo potum appetit, Mercurius est, hoc est, liquor aquosus, prima separatione a ceteris secretus, ita vt Arcanum in eius corporis constitutione sulphuris Mercurii & Salis medio dotatum sit, cuius ratione aquæ omnia viuentia nutriunt. Nihil ergo alimentalis est aqua, quam liquor Mercurii sulphuris & Salis correctus, dulcis, leuis, limpidus, omni sapore ac odore, aliaue id genus qualitate destitutus; palatum delectat, sitim sedat, ventriculo non diu immoratur, promte incalescit, legumina facile & cito, nec non carnes, reliquaque edulia percoquit, nec salsus, nec amarus, nec fœtẽs, in natura sua si persistat, reperitur. Hic nutritiuus liquor vere est aqua alimentalis.

Nec est quod Pseudomedici auctoritate Oribasii, Hippocratis & Galeni onusti nos oppetant, aquam non alere, sed duntaxat alimenti vehiculum esse: quam eorum importunam impudentiam satis suppressit Clarissimus Iosephus Quercetanus elegantissimis hisce verbis: deducens aquam simplicem, frigidam, naturæ vitalis & alimentosæ esse parti-

cipem, vt quæ ad naturam elementi sui proxime accedat quæque benedictionis fructum ferat, quam DEVS illi impertitus est, cum iussit, vt aquæ producerent reptile animæ viuentis, &c. quæ quidem benedictio permaneat adhuc, & permanebit in finem seculorum.

Huius aquæ fidem faciunt, quæ construuntur priuata viuaria ad asseruandos pisces; qui licet voraces sint, & ex præda aliorum piscium victitent, qualis est lucius, ingentes trutæ, & id genus alii; tamen diu in vita perstant citra prædam vllam, sola aqua vitam fouentes; quæ illis foret inutilis, si omni spiritu vitali & alimentosa facultate destituerentur.

Prædictis ergo notis a venenata & medicata aqua liquor hic alimentalis, qui proprie Mercurius cremosus dicitur, rite dignoscitur.

Venenata ex defectu vel excessu sulphuris Mercurii & Salis oritur: Quoties etenim ista recedunt a medio, qualitatem alienam & venenatam sortiuntur, quæ humanæ naturæ aduersatur, vt bibentibus noxam inferat: vnde venenata dicitur. Eiusmodi veneno cataracta aquæ alimentalis persæpe contaminatur, si venenosum quoddam corpus ex cachymiarum genere in atomos resolutum, vel eorum primum ens, antequam se coagulet, secum vehat.

Hinc omnes venenosæ sunt quæ mineras habent cadmiæ: perniciosæ, arsenici, stybii, chrysocollæ, gypsi, calcis, auripigmenti, melanteriæ, sorios, misyos, sulphuris adusti, aluminis reuerberati &c.

Hæ omnes perniciosæ interimunt, vt aqua stygis in Arcadia, cuius veneno nulla materia, præter mulæ, vel vt alii tradunt, equi vngula non perroditur. A Crobi aqua in Alpibus statim concidunt potantes. Cychros in Thracia loti-

lotione perimit: similiter & Lycus Siciliæ fons.

Medicatæ demum aquæ suas sibi proprietates & virtutes a metallis, lapidibus & salibus adsciscunt. Quoties namque metalla septem, vel lapides pretiosi, vel tria salium genera, nempe alumen, vitriolum & sal in tribus primis iacent, & in illis corrumpuntur, ita vt ad suam formam & effectum peruenire non possint; tunc si extraneæ cataractæ per occultos terræ meatus perruptum moliantur, virtus corporum prædictorum miscetur in vnionem, per quam fons extra globum in auram cum illa expellitur, naturam metalli, lapidis vel salis concipit, vt ipsis proprietate & virtutis efficacia æquipolleat.

Hinc quæ auri materiam detinent, omnes corporis imbecillitates releuant, & in iuuentute conseruant.

Quæ ex argento nascuntur, facultate refrigerandi & exsiccandi palpitationē cordis inhibere docent Arabes: quamuis odor ex fodinis argenteis spirans, cunctis animantibus noxius sit, canibus præsertim: furiosis tamen & maniacis vtiles sunt.

Aeris aqua sanat vlcera, adstringit & consolidat; internus eius vsus nobis valde suspectus est.

Pro morbis febrium ac putrefactionum aquæ ex ferro miræ operationis & sanationis promanant, aduersus colicam passionem, dysenteriam, choleram, stomachi dissolutionem, & lienosis admodum commodæ.

Aqua e plumbo ad vitæ longæuitatem facit, Veneris ardores extinguit, cicatricem inducit.

Ex stanni materia scaturientes vim habent Esthiomena & cancrenosa vlcera sanandi, contra scorpiones remedio est.

Quæ ex Mercurio oriuntur, alopeciam, morpheam, pru-

ritum, & communia curant vlcera, cerebri superfluitates emolliunt, & pituitam per os ducunt: magna aliquando pars ad aluum prolabitur.

Aliæ demum sunt ex liquoribus gemmarum, vt Smaragdi, hyacinthi, carbunculi, chrysopaii, Topazii, amethysti, sapphiri, Iaspidis, adamantis, Solenitis, memphitis, carneoli, lazuli, Ætitis, lyncis, crystalli, onychis, &c. prognatæ quæ omnes recenseri non possunt, sed ex virtutibus explorantur. Sic smaragdinæ nullam pudicitiæ violationem ferunt sine insigni damno. Sapphyritæ pestem curant, & anthracem soluunt. Carniolæ sanguinis fluxum sistunt. Memphiticæ stuporem inferunt sine periculo, vt quæ vrenda sint aut secanda, non sentiant cruciatum.

Carboniæ tristitiam & venena expellunt, cor lætificant, &c. Hyacinthinæ tutum hominem reddunt a peste & fulmine.

Sunt alię fontium scaturigines ex corallis, margaritis, conchis, carabis, &c. natæ, coralliorum, concharum, virtutem retinentes.

Aliarum denique ortus ex alumine, vitriolo & sale est, quæ proprie acidulæ appellãtur, & similiter multiplices exsistunt, concurrentes vires habent morbos sanandi, chirurgicales, putredinem arcent, famem conciliant, &c.

Medicatæ igitur a ceteris discrepant, quod ortum a metallis, lapidibus & salibus habeant, venenatę e marcasitis promanant; alimẽtales vero ex primorum corporum temperatura, perstant, ideo nutriunt, illæ necant, istæ noxia depellunt, & vitia emendant quoquo modo contracta

CAPVT

CAPVT XV.

An aqua medicata medicamentum sit empiricum?

Misochymici aquas medicatas, vt empirica medicamenta quidam despiciunt, eo quod casu & fortuito earum vsus sit inuentus. In cuius rei testimonium multa consignarunt exempla. Memorabile quoddam accidit in Italia. Anno Domini 1448. prope castellum Brandula, in Regiensi agro, vulgo vocatum, iuxta quod fons est aquæ medicatæ frigidę, cuius fontis aqua scatet limpidissima, sapore salsa, sed vix perceptibili, bobus gratissima: quo factum est, vt prædicto anno, ineunte æstate grassari inter boues inceperit epidemia tanta, vt omnes sanguinem meierent, & omnes illi boues, qui bibissent, vel biberent huius fontis aquam, sanabantur: aliorum autem locorum boues, quibus non erat facultas ex aqua illa bibendi data, moriebantur. Hoc cum obseruassent pastores dicti castelli rem promulgarunt, aquam scilicet illam a sanguinis mictu sanare boues. Vnde factum est, vt omues finitimorum locorum pastores breui frequenter illuc se contulerint, & suos quisque boues ad illam bibendam aquam adducerent. Tandem res a bobus ad homines deuenit, & sic cum quidam paterentur circa vesicam, cęperunt analogia quadam argumentari, quod eadem de caussa ipsi laborarent vesica, qua boues, & aquam propterea sibi, atq; bobus fuerat, saluberrimam fore rati, eam potitarunt, & nonnulli excreuere arenulas, quidam lapillos, aliqui saniem, & curati sunt. Quæ res tandem ad Medicorum aures deuoluta est, qui illius aquæ vsum pro affectibus virgæ & vesicæ comprobarunt, & hactenus eius aquæ vsus ad eiusmodi effectum viget.

Apparet itaque, qua ratione cognitum fuerit, aquam hanc

habere vſum, & experientiam fuiſſe caſu repertam, & per analogiam poſtea comprobatum illius aquæ vſum ad veſicæ, renum & pudendi affectum conferre.

Similiter arbitrantur, reliquis cum medicatis aquis eſſe factum. Ingreſſus namque fortuito medicatæ aquæ balneum quiſpiam lauandi ergo corporis, cum laboraret morbo quodam & egreſſus e balneo, ſe melius habere ſentiens, lotioni eidem acceptum retulit, iterumque aqua illa libuit vti. Sic caſu, experientia duce, ad eum affectum, quem ipſe patiebatur, aquam illam facere collegit.

Quapropter medicatarum aquarum vſus experientia tantum proditur.

Quotquot autem inſectantur experimenta, Galenus vocat Empiricos, quos maximo arguit Zelo: in quorum numero ait Hierophylum & Philippum Apollonium & Heraclium extitiſſe, qui certabant experimentis nemine idem cenſente.

Hinc illæ circa ægros miſeræ concertationes, & illa infelix monumenti inſcriptio: *Turba Medicorum ſe periiſſe* & Adrianus Imper. vt auctor eſt Dion, moriens dixit: *Medicorum turba principem perdidit optimum.*

Hæc cauſſa eſt, cur Galenus, qui de leuioribus quibuſuis integros conſcripſit libros, frigide, & parce admodum de aquis mineralibus egerit; forſitan, qui cuncta ratione ſtabiliri & præmuniri volens, veritus eſt, ſi ægros ad aquarum medicatarum vſum ablegaret rubigine mucoſa & viridi Pharmacopæorum Syrupi, apozemata, Iulupia, &c. obduci.

Quod ſi ob prætenſam cauſſam aquæ minerales ægris negligendæ ſint; præcipua ſane medicamenta flocci facienda ſunt, cum & plurimarum herbarum vires animalia bruta mortalibus indicarint. Dictamnum herbam, quod vulnerari

rati telum venatorium eius pastu eiecissent, cerui ostenderunt: Vbi ferrum vulneri inhæserit, Ceruæ seseli herbam demonstrarunt: Testudines cunilam, mustelæ rutam, accipitres hieracium, columbæ verbenacam, hirundines chelidonium, ciconiæ origanum, & alia denique animalia alias innumeras herbas inuenere.

Quid iuuamenti ratione excogitatum, quod non ab experientia prius probatum & repertum est? Vltimum asylum vestrum & sacra anchora, enema subaudito, ratione architectatum est? minime gentium: Ibis inuentum est, quoties illa constipatur auis, aquam marinam salsam rostro subingerit aluo, eamque istius acredine soluit.

Vtinam hoc empiricum inuentum, pseudomedicorum ratiocinationibus nō adultaretur, nec viscosa certe, nec concretilia quæque enematum liquoribus commiscerentur: quæ aut se natura attrahit, attracta intestinis adhærent, nec a debilitate intestinorum calore digeri possunt, sibi simile accumulant, donec obstruant, vt ex colica flatuosa fiat iliaca passio, quam paralysis & arthritides concomitantur.

Quamobrem si Pseudomedici medicæ materiæ primordia penitius spectarent, quæ experimento inueniuntur, minime aspernarentur.

Capvt XVI.

An aqua medicata Anno bissextili sit salubris?

PSeudomedici proprio commodo, pharmacopœorum que auaritiæ studentes, quibuscunque potuere modis, aquas medicatas rudi vulgo despicatui reddere conati sunt:

nia, maiorana, endiuia, & reliqua medicamenta: similiter & ipsum triticum: Ergo male agetur cum iis, qui bissextili anno pane vescuntur. Et cur quæso magis mutentur aquæ medicatæ, quam fluuiales & puteales?

Ad allata exempla respondeo, fallaciam & commentum pastorum esse, vt decipiant Dominos gregis, & vt suas fraudes & furta vel malam custodiam, quam de grege habent, tegant. De mulieribus non est mirum quod timeant, & imaginatione abutantur: quoniam hæc de natura ipsarum videntur esse: semper enim mulieres timent, semperque sunt superstitiosæ, & donec durabit fœmina, durabit quoque timor & superstitio. Hæc quid possint, in Paracelsia nostra de morbo mercuriali a nobis explicatum est. Quare eiusmodi effectus anno bissextili non imputandi sunt.

Porro pseudomedici proteruiam tegentes Saturni influentias prætendunt: Annus, inquiunt, bissextilis est annus Saturninus: quo dominetur Saturnus, quod sidus occulta sua influentia generationibus & naturæ rerum tum frigiditate, tum siccitate aduersatur.

Sequitur ergo q & ratione materiæ, id est, aquæ, & ratione habitus corporis non erit anno bissextili salubris aquarum mineralium potus. Quod autem annus bissextilis sit annus Saturninus, hoc pacto probant: *Annus Saturninus est motus, qui redit de quarto in quartum. Sed annus bissextilis & ipse est motus quaternarius, quia redit de quarto in quartum annum. Ergo annus bissextilis est annus Saturninus. Saturninus vero annus est malus. Ergo inficit hac inferiora, & aqua medicata erunt anno bissextili noxia.*

Sed quis Astronomiæ adeo ignarus, vt nesciat Saturnum non moueri de quarto in quartum annum, sed de quinto in quintum.

Nonne Saturnus motum habet a cœlo? mouetur ergo in triginta annis; qui numerus non poteſt quaternario numerari; nec dicer quod hic motus ſit motus alterationis, cœleſtia namque illa corpora nullam recipiunt alterationem. At quid eget longa refutatione? cum annus biſſextilis ſit inſtitutum humanum, quod ea, quæ a natura ſunt inſtituta, mutandi vim non habet: Sol eſt anni menſura, quia motus ille, quem Sol facit, egrediens a puncto arietis, & rediens ad idem punctum vocatur annus; ita vt annus nihil aliud ſit, quam tempus intermedium, quo Sol diſcedens ab ariete, redit in arietem: quod perficit 365. diebus, ſex horis & aliquot minutis. Et quia non poterat perfici annus niſi ex diebus: idcirco ſex illas horas & minutas Auguſtus Imperator voluit intercalare quarto cuique anno, vt fieret dies integer ex illis ſex horis. (: Nam quater ſex, viginti quatuor conſtituunt:) Et ita ex ſex illis horis, quæ ſingulis annis ſupererant, vnum componi diem, quarto ſemper anno Februario menſi addendum cõſtituit, quem annum vocamus biſſextilem. E quibus, quod motus Saturni non faciat annum biſſextilem, ſed humanum ſit inſtitutum, liquido conſtat: quocirca nullum hæc inferiora tranſmutandi ius habet, nec eſt malus nec timendus.

Valeat ergo hic pſeudomedicorum elenchus; quoniam cœlum bonis bonum, malis malum eſt.

CAPVT XVII.

An aqua huius fontis ſit medicata?

PLurimi nec odore nec ſapore nec pondere huius fontis aquam a ceteris diſcrepantẽ deprehendentes, hãc aquam non fore medicatam: ſed ea fruentes ex imaginationis abuſu ſanari autumarunt.

Duplex

Duplex enim est ægrorum extra medicinam sanatio; Vna ex mandato Christi: Altera ex virtute imaginationis. Qui ex mandato Christi operatur, is iustus est: Qui ex imaginationis virtute quicquam facit, is perperam agit, quod imaginatione abutatur, eamq; in superstitionem efficaciter conuertat; Huic quidquam credit, contingit, is claudos facit quos odit, & maledicta eius verificantur: is sanos facit quos amat, aut beneficos experitur, idque omne ex vi superstitionis, ex qua agit quocunque etiam medio adhibito.

Multo facilius id humanum genus, si aquæ alias forsan medicatæ, imaginationem impendat, ea semetipsum curabit. Nec inficiari hæc possumus, quin non persæpe eueniant ita, quæ nobis imitanda minime sunt, cum superstitione non careant, nec in aquam, nec in herbam, imo nec in sanctum credere oporteat. D. Apostolus Petrus multos quidem iuuit, in ipsum tamen nemo credidit, sed tantum in Christum. Ex se ille nihil præstitit; sed tantum ex Christo; Itaque quod ex Christo fit, id ei, per quē fit, imputari minime decet. Si Christi mandatum sit, vt crucem tollas, & ipsum sequans, cur imaginationem & fiduciam alteri impendis, & aliud cōcupiscis? Adulterium hoc est maximum. Ast eo pueri contaminari non possunt, cum ea ingenii sagacitate nec pollent, nec vsum rationis habent, vt imaginatione abutantur.

Nihilominus huius aquæ vsu pueros & puellas a grauioribus morbis esse liberatos & sanatos, multorum testimonio comprobatur.

Quare huius fontis vis & potentia aliunde quam ab imaginationis abusu pendet.

Porro an quidam voto ad hunc fontem se abdicauerunt, & eius virtute sanitatem adepti sint, nos certo, cum in occultum videre non possumus, ignoramus: si tale quid euenit,

opus illis est, vt sciant, cui voueant, & quid vouere possint, vt DEO gratum sit: quod Theologis discutiendum determinandumque relinquimus.

Experimento nos quod omnes ratiocinationes longe, vincit, comprobamus, præter imaginationis abusum, præter votum factum, huius aquæ vsu varia morborum genera tolli.

Non ergo alimentalis tantum, minus venenata, sed medicatahui us fontis est aqua.

CAPVT XVIII.

An aqua fontis S. Annæ vena aurea profluat?

CVm vndique ægri ad fontem S. Annæ, velut ad ἀχάριστον ϗ θεοδώρητον, agminatim & quasi turmatim confluerent & sanarentur, Misochymicorum increbruit rumor, mineram huius fontis esse auream, qua vires corporis humani; vtut illæ langueant, restituantur; vt re iuuenescere vientes, vigoremq; inde incredibilem facultatum omnium corporis recipere videantur; Quocirca omnes Philosophi, in auro τὸν χρυσὸν ϗ ἀργυρόφορον quæsiuere..

Huius igitur fontis aqua cum singulares & obstupescendos in grauissimis depellendis morbis effectus proderet, rati sunt Misochymici, ex auri virtute eiusmodi prouenire; propriæ doctrinæ immemores, ab effectu mineræ cognitionem cuiuslibet aquæ medicatæ non inuestigari.

Quod si omnes effectus illi e salis minera, ex eorum dictis, vt paulo infra, oriantur, quo indicio mineram auri immixtam aquæ cognoscerent? Non potest aurum domari a calore: ergo nec solui, nec misceri aquis: quomodo ergo cognoscent, aquam hanc vel illam habere aurum sibi admixtum, si non miscetur cum aqua?

Non poteſt quoque aqua auri virtutem habere. Gloriatus nuper quidam Argentinenſis Medicus, aurum a calore domari poſſe, & methodum conficiendi aurum potabile ex toto auro, abſque vlla re addita, præter ignis vim, magno precio vendidit, quem ignem lege artis Chymicæ, aurum per ſtybium expurgatum & in tenuiſſimas laminas redactum, ac vaſculis ad hoc ideo nis libere, ne ſeſe vſquam laminæ cõtingant, appenſum, dum exuritur & calcinatur in fornace ad hoc debite parata, per medium annum quam ferueuſſimum ſuſtinere oportet, quouſq; tandem laminæ illæ aureæ exemtu libero & frigidiori exponantur aeri, oleoſus quidam humor inde defluat, vt reſoluatur rubri coloris ſapore ſubdulci.

Hunc auri potabilis cõficiendi modum, nobiliſſimus quidam Heros experiri voluit, eoq; in labore ad viginti ſeptimanas progreſſus, ad ducentas vlnas maiores, quaternos cubitos capientes, lignorum inſumſit, vaſculis exemtis, inuenit ferramenta quædam, pro ſuſtinenda fornace parata, aureis maculis paſſim conſperſa, quæ vtraq; ipſorum facie, etſi latum digitum craſſitudine excederent, apparebant.

Nullum profecto vaſculum tantum, tamque diuturnum ferret calorem, quin non in rimas fatiſceret. Vana ergo illa eſt iactantia, aurum a calore domari. Multo minus aurum ſalis acrimonia, quibuſcunq; modis præparetur, ſoluitur; ſed ſolum calcinatur, & in alcool vertitur. Quod enim Miſochymici pro ſecreto venditant, aurum potabile non eſt. Ex Sale communi, quo condiendis cibis vtimur, aquam fortem vel oleum quoddam pinguiuſculum & graue conficiunt, in quo aureæ laminę, vel eius puluis per ſtybium prius, lege artis purgatus, trium dierum ſpatio ſenſim & paulatim liqueſcit, & in aquam conuertitur. Quod ſi aqua frigida rurſum ablues, calcem auri viuũ habebis. Nec verentur gloriari, hunc acrem

liquorem, in morbis diuturnis, putridis, & variis obstructionibus, maximo cum emolumento se exhibuisse; quia præter hoc inquiunt, quod nimium sit acre, vel vrat, summe est penetratiuum: ideo Apoplexiæ, paralysi tam linguæ, quam reliquarum partium, spasmo, retentionibus menstruorum, & vrinæ, calculo, quem mirabiliter comminuit, ictenitiæ, & principio hydropis aperiendo, restaurando appetitum, ventriculum roborando, vomitum cohibendo, optime medetur, & confert syncopæ, tremori cordis, & melancholicis mire subuenit, medetur omnibus venenis, præsertim vero mercurio infectis. Doloribus iuncturarum ex morbo Gallico curatus per vnctionē Mercurii exhibitum, & inunctum subuenit, gargarisatum cum aqua rosarum vlcera putrida faucium & colli ex morbo Gallico, etiam vbi calores adiuncti fuerint, egregie curat.

Hæc olei Salis encomia, quod pro auro potabili venditant, adeo cœco impetu ducuntur, vt quod in Chymicis vituperent, mox summis laudibus, si eius inuentionem subornent ac sibi ascribunt, efferunt.

Vt vero fucum latentem tegant, chymicorum facile Principem Gebrum sibi suffragari iactitant, qui cap. 22. libro 1. aperte docet Sale omnia solui. *Omne* inquit, *quod soluitur, necesse est Salis aut aluminis vel eorum consimilium naturam habere: neque inueniuntur alia solui, præter illa.* Igitur quæcunque soluuntur, necesse est per illorū naturam solui, id est, in aquam redigi.

At credo, Misochymici sicut nec cetera Philosophorum dogmata nec hunc locum intelligunt: quare eos ad auctorem libri, qui correctio fatuorum insignitur, relego. *Duplex inuenitur corporum solutio, vna in Mercurium, scilicet per Mercurium, altera in aquam Mercurialem. Prima corporum solutio non*

non est alia nisi resolutio, id est, per solam resolutionem seratum aperiatur, propter ingressum naturæ vnius in aliam. Altera fit non per solam dissolutionem sulphuris immaturi in Mercurium; sed per putrefactionem corporis & spiritus in humido: cum putrefactio omnium naturarum ad inuicem ligatarũ, fit solutio & separatio.

Ex quibus patet, Gebrum loqui solummodo de solutione violenta, quæ corpora in alcool vertit. Quod si Misochymici Gebrum millies legerent, nõ comprehenderent id, quod aurum soluit: hoc enim omnes Philosophi occultarũt, etsi cum Pontano omnium distillationum genera, sicut Geber, Archilaus & alii fere omnes p̃cipiunt, tẽtauerint, nihil inuenient.

Alii sale cranei humani, quin & vrinę ac sanguinis Sale moliri tentarunt: alii oleum garyophyllorum & Caphuræ & vitrioli solui aurum posse semetipsos infatuarunt; Alii aurum tartari Salè cęmentatum vini spiritu sulphur extrahi opinantur, verum Salis spiritus poros auri ingredientes spiritum vini rubro colore tingunt. Ignorant ergo Misochymici, qui aurum soluatur; ideo Princeps Philosophorum Aristoteles solum aurum inter corpora inferiora incorruptibile prædicat.

Quod si aurum nullo agente Misochymicis cognito donari, aquis quoq; misceri non potest; frustra iactitant hanc vel illam aquam aurum habere sibi admixtum; Si cum aqua non commisceatur, certum est, quod aqua nõ potest habere saporem vel odorem vel colorẽ auri. Esto, quod aurũ in propria vena habeat colorem nigrum, & quandoq; colorem argillæ, & ita aqua, quæ habebit in se aurum, erit colore vel nigro vel argilloso; tamen non poterimus asserere, quod quotiescunq; viderimus talem aquam, habet in se aurum, quia color ille potest aliunde nasci.

Ergo aqua habens aurum admixtum, non cognoscitur odore, nec gustu, nec colore. Sed aqua fontis S. Annæ nec

nec atrum, nec argillosum colorem habet; quo ergo cęco impetu agitantur Misochymici, vt ipsi aurum admixtum asseuerent! Quod si aurum non separent a calore, tanto minus vincetur a calore naturali corporis viuentis: Ideo aqua illa nullum edet effectum; quia si quid debeat vsum aliquē corpori nostro præstare: opus est, vt a calore cōcoquatur naturali. Quare aquas habere aurum, non potest cognosci, & si mille annos calor in aurum ageret, nunquam ipsum cum aqua misceret.

Hoc ergo Misochymicorum iudicium, præter rationem prolatum, ad Garamantas relegetur.

Enimuero negandum non est, quin pluribus in locis, aurum a natura iterum in aquam dissoluatur, quæ auri proprietates in se retineat, & admirandos effectus in expellendis morbis prodat; minus tamen hæc innotescit, cum nec sapore ab aqua communi discrepet. Ob inscitiam ergo neglectui habetur, nec eius experimenta inclarescunt: eo quod in locis ab hominum frequentia remotissimis & incultis producat natura.

Ast quo instrumento reserationem auri natura moliatur, qua nempe claue seratum aperiat, omnes inquiunt, omnes scire auide appetunt; huius solius gratia tot lampades accenduntur, tot, tantique labores exantlantur. Non igne elementari, non sidereo, non talium acredine, in quibus tot retro seculis frustra laborarunt pseudomedici, natura vtitur; Sed eo, quo connectit auri compagem, eodem quoq; resoluit. Nam compositionis & resolutionis vnus idemque est auctor, motor & rector. Sic calor clibani panis formam coagulat, calor Archæi eandem panis formam resoluit. Intelligite ergo dissolutionem retrogressum quendam esse. Quæcunq; natura gradatim prorsum cōposuit, ea retrorsum nos soluere debemus

mus; Et quamdiu Misochymici huius solutionis ignari & imperiti sunt, tamdiu saltem cornutos & tyrones agunt. Sed ne a scopo iterum deflectam, omnibus satisfacturus, dico: Aurum solui a Sale Sulphureo & pretioso naturæ balsamo, quo omnia animantur & vegetantur: vnicum illud puto sulphur, quod totam terræ superficiem irrorat spiritibus balsamicis, eiusq; interiorē sinū irrigat pretiosę & viuificę aquę vitę & nectaris naturalis salüberrimo & vtilissimo liquore, vnde omnia reuirescunt, & effiorescunt, & quæ mortis speciem prę se ferunt, vitam recipiunt, & reuiuiscunt. Hoc aurum soluit, & est vnum de maximis naturæ secretis: Cum ipso similiter commiscentur spiritus, & figuntur per ipsum maximo ingenio, q̄ nō peruenit ad artificem duræ ceruicis, & pectoris. Ab hoc multum senex ille Hipp. aberrauit, solum imaginationi impendens; qua ob longam vitam, propriam filiam in quercum mutauit.

At non leuis hic oritur dubitatio, an non ab ipso balsamo aurum resolutum vires suas habeat, an ex se ipso? Si quidem hoc balsamū per se instar medicinæ vniuersalis est ad omnem cutim leprosam, vlcerosam, & quauis alia labe fœdatam, tollendam & renouandam, & ad corpus quauis ex parte vitiosum, putridum & in frusta mox collapsurum, ita emundandum, vt in primum, floridum, & sanum euadat. Huic nostræ sententiæ suffragari videtur Medicinæ Monarcha, Mercurium vitæ ipsi Philosophorum lapidi, & primo enti multis parasangis præferens cuius vires in forma specifica tam potentes agnouit, vt vetus a recenti, vel senectutem a iuuentute separent, quam posteriorem augent, ac ita renouant ætatem, separando impurum, vt inueterata vita suas, vt antea, vires efficacissime recuperet; quinimo ipsum lapidem ex electro, & non ex auro confici, quod astrum Solis vocat, docuit.

At hunc vitæ Mercurium non in auro, nec ex auro, nec cum auro elaborauit, sed ex duabus radicibus, nempe e Mercurio essentificato, & antimonio, resolutionis & coagulationis opera, arcanum istud produxit.

Hinc Auctor Panaceæ suam consequutus gloriam. Doctissimus Martinus Rulandus in eius locum suum metallorum crocum, ex quo aquam suam benedictam, spiritum vitæ aureum, aquam antipodagricam, antepilepticam & alia, quorum numerum longum concinnat, substituere forsan voluit.

Verum nemo hoc preter ipsum, qui corda scrutatur, nouit, cum hactenus Rulandus nullius adhortatu secretũ hoc manifestare voluerit. Recte Libauius ipsum monet; *debes hoc Rulande medicina nostra, vt tuo ingenio crescat, debes saluti communi, potissimum post* DEVM *Opt. Max. natus es, hac vetat occulta habere, quæ* DEVS *ipse manifesta voluit, nec tam lucrum, quam publicum emolumentum respiciendum est.*

Probus ille Bernhardus G. Penotus a portu, hac nostra ętate de Medicina omnium optime meritus croci etymo deceptus, & cum ipso multi alii doctissimi viri, quinquennies præcipitatum argentum accepit, eoque infelicissime (excepto in morbo Hispanico) vsus est.

Non ergo immerito Regius ille Medicus excellentissimus Quercetanus, dogmaticorum restaurator filium Doctissimi Rulandi, suo croco iam in lucem edicto allicit, vt tandem secretum hoc luce dignum, vel solum Hermetis filiis reuelare dignetur. Quercetanus similiter metallorum crocum non ex auro, sed ex magnesia Saturnina, opalina & paradysi glacie seu prunellæ Sale, calcinatione Philosophica aperta, in vnam fundit massam. Ex qua aquam ophtalmicam, Rolandina non inferiorem, sed energiæ plenam, & cum crusta panis Antepilepticam concinnat.

Ra-

Radix illa Sulphuris eius aurei diaphoretici, in lixiuium diffusi, aceti potentia ad fundum propulsi, tot & tantas rerum variarū naturas complectitur, vt mortalium nemo, nisi prius expertus, id possit credere. Ad nostrum vt reuertamur balsamum Maximum illud Bezoardicum minerale non ex auro, sed vt recte id Philosophice describit Quercetanus, ex spuma duorum Draconum in pugnam prouocatorum, vel balsamico Sulphuris & Salis spiritu vegetabili perficimus.

Hac pugna magnarum turbarum, ebullitionum & seditionum venenum istud, ipsa vipera deterius, in summum alexiterium saluberrimumq; remedium, quod eius Nepenthes mirifice exornat, conuertitur. Eiusmodi pretiosis ac selectis Hermeticorum floribus mirifice spagyricam exornauit artem, nec tam arduum vt excellens secretum celare voluit recte nobiscum sentiens. Nihil Sole excellentius quia nihil communius. Quæ igitur ad communem vsum Medicinę pertinent, diu occultanda non censeo, quandoquidem operationes spagyricæ per se sunt laboriosæ ac difficiles, Ipse Helenæ Nepenthes ita parare soleo vt sequitur.

De meliori prædictorum Draconi Martem ante pugnę cōgressum, degluciendum propono, quo deuorato, ad dimicandum vtrumque produco, confestim magnas ebullitiones & seditiones citra Pyracmonis Acmonidisque opellam excitant, vt ipsum Iouem fulminantem, & maximo fragore & reboatu igneam flammam ex ipso gelu euomentem videbis. Apparente serenitate, deuoratum Martem abluo, & solari æstu resuscito. Quem cum vtriusque Draconis spuma, & sulphure prædicto vegetabili, in crocum aureum per debitos mutationum gradus congelo.

Hic metallorum crocus, supra candentem laminam absq; fumo fluens, in omni liquore facile soluitur. Medicina hercle magnarū vitium.

Qui artem ex professo colunt,& manualem operationem crebro exercuerunt, facile dicta hæc mea percipient. Quandoquidem artis mysteria rudibus ignarisue pandere, est illis arrogantiam proteruiamq; adaugere, summo cum virorum doctorum contemptu.

Vanum prorsus est credere,medicinę,sicut & aliarũ omnium artium perfectionemq; eo peruenisse, vt per tot temporum ac seculorum mutationes, nihil in ea immutandum, nihil corrigendum, nihilque ad dendum, aut demendum obiiciatur. Neque vllus est, modo animum paulo attentius aduertat,cui id ignotum esse possit,præter Cynicos istos,quibus certe multo iustius asini auriculas Dii dederint,quam Midæ: repertis enim frugibus glandem defendunt, nec cum gryllo in hominem redire volunt,dum pharmacopæis rudem illam & ineptam medicamentorum compositionem admittunt, & collaudant.

. Num magnę artis & eximii laboris,omnia saccharo inquinare? quid in syrupis aliud quam saccharum, cum minima succi quantitate! Quid præter saccharum in rotulis, fabulatis, confectionibus? Præter euanidum puluerem. quid? destillatæ aquæ simplices quid? puriorem Mercurii liquorem ipse æger ex fonte,nunquid si hæc intelligeret,hauriret? Margaritæ,corallii, Hyacinthi & alii pretiosi lapides quid? Dudum a viris doctis comprobatum est,ea a natura & calore stomachi alterari non posse.

Hæc tamen Cynici isti ægris ingerunt, quæ si non ægrum tamen Pharmacopæum reficiunt. Eiusmodi Martinus Rulandus S. Cæs. Maiestatis Archiater in suo Chymiatriæ propugnaculo.q. 21.viuis depingit coloribus: *Nõnulli*,inquit,*magnam scientiæ gloriam arroganter in se transmouent: quidam laboris fugientes diffluunt ocio: aliqui simplices & imperiti: quidam*

vero

vero balatrones Asiatici, qui alienam officiis suis pecuniam contrahunt, Medicis scurriliter imponunt, & fucos faciunt. Hi digni sunt, quos Magnates sibi calfactores, mediastinos, vestigatores & coryceos constituant. Hinc nō immerito de istis queritur Paracelsus, defensione quinta, *Cum ad medicinam*, inquit, *tam diuersa natura homines confluant, qui lucro priuato certatim omnes inhiant; me quidem pro mea parte, medicina haud pudet leuiter, cum video, quam tota imposturis nunc ea corrupta sit. Hodie namque vel scelestissimus quisque carnifex aut leno, aut canicida ex adipe humano aut canino aurum cudere, ac per eos, morbos vniuersos sanare conatur; cum tamen ipsa conscientia teste, conuincantur, quod prater vnicum curandum morbum, aliorum permissionem neutiquam habeant: nihilominus quastus proprii studio suscipiunt agros, quicunque demum ipsis offeruntur vndecunque.*

Sic ergo in tribum Medicorum se inserunt pessimi etiam quique & ignauissimi scurra, venum sua remedia obtrudentes, vtcunque vel quadrent vel commodent. Hoc pacto qui aurum in loculos concatenare, ac magnificas exstruere ades nouit, is laudum primas obtinet, hunc amplis bullis & ampullis exornari oportet.

Summum dedecus, immo fatalis pœna est, huiusmodi facinorosos homines non agnosci; cum tamen quam scimus arborem frugi nō esse, securi deiiciamus admota, & in ignem ingeramus. Sed decipiuntur homines, eo quod Magistratus videant in illos humanitatem; & Pseudomedicorum ad omnem nutum in eosdem obsequia.

Verum ipsis minime vertatur vitio, quod cuiusuis generis & dignitatis homines doctissimis suis in transennam dolis ducant: mundus enim vult decipi.

Ad prædictum modum Cynici isti Pseudomedici thermas aureas, haud secus vt confectiones ex auri puluere conglobatas, vulgo medicatas, in quibus ramēta auri reperiātur, persuadent.

Eiusmodi aquas reperiri minime dubitamus: Scatēt enim flumina iis referta, e quibus in Carinthia Reuerendissimi ac Illustrissimi Principis ac Domini D. Ioānis Philippi, Episco-Bamberg: Principis nostri clementissimi subditi aurum lauant; sed medicationi amnes istos conducibiles fore, sicut & metallorum pulueres, quocunque modo ablutos negamus.

Quæ namque calore rursus in metallum funduntur, medicaminis virtutem nō exserunt; nec fieri potest, vt Archæus noster ea soluat, concoquat, & potentiam in illis latentem in actum producat.

CAPVT XIX.

Ad quod genus aquarum medicatarum aqua huius fontis referatur?

MIsochymici cum sapore ab aquæ communi seu alimentali hanc discrepare minime deprehendant, ad salium genera referendam haud credunt; ipsam tamen medicatam esse, ob populi consensum diffiteri nequeunt. Quare ad lapidum metallorumq; genera hanc aquā reducunt; Sed eorum error facile ex eo conuincitur, quod totus tractus illius montis nullos lapides pretiosos, nec metalla perfecta contineat, sed solum pyrites magna vbertate effodiatur, quæ non lapidibus, nec metallis, sed marcasitis annumeratur: nec minera illa frigore, seu aqua frigida soluitur, sed intensiore duntaxat calore liquescit, & Sulphur exstillat.

Ideo hæc aqua Sulphurea non est, cum minera fonti non sit natalis, sed extrinsecus illata: quod testantur scobes prope fontem effodicatæ: Namque cum eorum garritu, spe venæ alicuius aureæ, prope fontem vlnarum aliquot altitudine aperiebatur solum, rubra terra, eaque valde sicca & rara reperta

certa eſt: ita vbi nullum venæ alicuius aureæ indicium, appa- uit, omnem laborem perdidere,

Mirum profecto eſt, Miſochymicos poſt deſtillationes, tam diuerſos lapides, in ipſa aqua in atomos ſolutos humore huius aquæ concoctione euacuato, in vnam maſſam concretos dignoſcere, cum 4. herbas, ipſis neſcientibus, in puluerem redactas, quales ſint vel fuerint, ne toto quidem anno ſuſpicari aut ſuboleſcere poſſint. Sed quid hoc mirum dico, riſu ſane dignum eſt, quod aſſerere non erubeſcunt, ſe poſt diſtillationem, lapidem ærarium, glaream, plumbum, cuprum reperiiſſe in fundo cucurbitæ. Quod ſi ita eſſet, medicata non foret hæc aqua. ſi enim coctione aqua exhauſta, eius fœces in metallum fundantur, ſolutum non fuit metallum, ſed in ſcobem duntaxat, ſeu alcool redactum, & aquæ immixtum: vnde crudum metallum, & crudos lapides aquam lambendo ęgri deuorarent, quos Archæus ventriculi nequit ſoluere; ſed per loca a natura deſtinata rurſum indigeſta eiicit, nec vim medicatam corpori, imprimerent, quoniam eorum virtus in actum exſeritur.

Quare hæc aqua neutiquam eſſet medicata. Quæ enim talis eſt, neceſſario requirit, vt metallorum vel lapidum compages, reſoluatur in primum ens Hinc aqua forti vel Regis metallum non ſoluitur, ſed in alcool dũtaxat calcinatur, ideo nec medicata cenſetur.

Natura vero metalla & lapides, ita reſoluit, vt nunquam rurſus in metalla fundantur, tunc potabilia ſunt, & morbos arcent. Quod Chymici eiuſdem naturæ ſpiritu vegetabili præſtare quotieſlibet poſſunt, & metallum potabile conficiunt, quod nunquam niſi poſt milleſimam regenerationem, in metallum reduci poteſt.

Ex his patet, quam vana ſit illa Miſochymicorum iactan-

tia; de quibus certe conqueritur Philoſophus, dari quoddam genus hominum, quod non vult, nec poteſt erudiri.

Quamobrem vt ad quod genus medicatarum aquarum hic fons referatur, dicam, ſolos Hermetis filios alloquar.

Scitote infra hunc fontem leonem viridem, roboris, virtutiſque potentia præſtantem, cui ſimilem nec Goſiaria, nec Vngaria, nec Roma mūdi caput, alit, latere; qui calore ſubterraneo, vel antiperiſtaſi in iram agitatus, ſuo habitu proprios necat filios, & rubore ſuffundit. Horum oſſa niualibus aſtris adeo torquentur; & Saturni falce diffinduntur, vt lacrymas glaucas, at dulces recta ſurſum in Triualuia ad Yliadum propellant. Papæ ſuauius ipſo nectare & ambroſia refrigerium, quo aſthmaticis, grauiter tuſſientibus, cordiacis, febricitantibus, calculoſis, apoplecticis, epilepticis ac podagricis ſuccurritur.

Natura filium docet, vt caput leonis mortuum proprio liuore imbibitum; æſtu torreat, ac brumali gelu ad vitam reſuſcitet. Hunc ergo non fugito laborem, eiuſque habitum colligito, rectificato, & eo caput mortuum irrorato, vt eius halitu turgeat, primoque corporis robore iterum ſuffulto & conquaſſato, & in altum tollito, hoc eſt, ſublimato, demum hyeme madefacito, nec quenquam repetiti laboris pœniteat, ſpiritum dulcem & ſanitatis cuſtodem impertiet, quem cuſtodito, ne æſtu congeletur. ITERVM repeto.

Calcinatum leonem ipſum leuigato, & figito in limum, ita ipſi dominaberis, alias ferox & fugax eſt, nec ferreis ſe ſtringi patitur catenis: ita ligatum igne torrito, & ſufflabit ſpiritum, hunc bene mundato a fœcibus, & ad Elyſios campos vt inclareſcat, mittito; eo reficito caput mortuum, vt priſtinum ſibi adſciſcat robur, caloris auxilio: ſic confirmatum terito & ſublimato, prodibit diuerſicolor, quem ſpiritum, ne

fures

fures eum exſpolient, tenebroſo in loco abſcondito, ibi ipſe vobis cum affluentia iucundum nectar lacrymetur.

Hoc iam non intelligenti, datum non eſt arcana naturæ rimari, ſed te tuique ſimiles ad ruralia opera exercenda deſtinauit naturæ auctor aut rector. Clarius hæc proferre non poſſum, nec licet. Hoc tamen additum volo, ſi hæc naturæ arcana e marcaſitis vel ſalibus elicere coneris, neceſſe eſt, vt gradus mutationis a Monarcha in labore lapidis arcani præſcriptos, ſedulo obſerues, quo neglecto ordine, omnis tuus labor in caſſum ibit.

Cum primis corpora calcinanda ſunt, idque non amalgamatione, qua metalla cum duplo & triplo argenti viui commiſcentur, & exſpirante hydrargyro, in alcool calcinantur.

Non fumigatione, qua perfecta corpora afflatu plumbi, hydrargyri, aceti; fragilia redduntur. Non aqua forti vel Regis, qua videntur in aquam tranſmutata.

Non ſtratificatione, qua lamina aceto, vrinaue inſperſa, ſupra ſtratū, de corroſiuo in vaſe clauſo, vel aperto, ad ignem gradatorium, locantur, in minimas partes corroduntur.

Non granulatione, qua res in granula comminuitur, dum liquata metalla, in aquam per colatorium, vel ſcopas effunduntur, in minimos globulos diſperguntur.

Non leuigatione, qua res ſupra Porphyrium cum lalapide in leuiſſimum puluerem attritu leuigatur. Nec etiam tephroſi, hoc eſt, cinefactione, qua res in alkool incenſione, ac combuſtione abit: ſed per ipſam Tetanoſin, quia corpus vndiq; igne reuerberatur, donec in calcem abeat.

Vt autem hæc calx ad maiorem perfectionem exaltetur, altero mutationis gradu elaboranda, hoc eſt, ſublimanda: Non eleuatione, qua ad ſupremam duntaxat ſuperficiem res propellitur, eiq; inſidet, vt quibuſdam rebus accidit ſiccis,

I

vbi immediate, ex re ipsa sublimatum efflorescit, eique cohęreret proxime in sicco, vt quando ferrum aceto & sale illitum, eius Mercurio ad superficiem sublimatur.

Quod similiter & humidis quoque euenit, cum e re in humore excedente collocata, sublimatum enatat, emergitur ad summum, vbi subsistere apparet, vt quando destillatione, per vnicum rostrum aqua & oleum euocantur, oleum summum petit (solo oleo Cinamomi excepto, quod ad fundum cadit, qua nota, an adulteratum sit, cognosces) non inquam eleuatione, sed exaltatione, qua videlicet per distantiam, hoc est, si inter sublimatum, & caput mortuũ, interuallum æreum intercedat, res in altum tollitur; qua res diaphaneitatem, leuitatem, & splendorem nanciscitur. Hisce acquisitis tertio mutationis gradu soluatur, quo continuitas & compages eorum dirimitur, non separatione, qua corporis partes a se inuicem, separantur: non abstractione, qua cum instrumento partes diuersæ a se mutuo disclusæ, altera ab altera distrahitur, quod sursum in rebus siccis, detersione, pede leporino, penna, cultellis, &c. in rebus fortiter cohærentibus, extractione, vt forcipe, lima, radula, &c. in rebus humidis ex haustione, vt fistulis, &c.

Deorsum subductione peragitur, idque filtratione & clepsydria, quando liquor per vasis solidi subtus perforati oculum subducitur, vt in mineralium fusionibus, & subductione oleorum ab aquis. Filtratione, quando per filtrum tenuis aquositas transit, resistentibus spissis & oleosis, quod fit per chartam empyreticam, pannum, setaceum, lineum, manicam Hippocratis, corium, stramina, &c.

Nec soluuntur abscessu, quo partes naturarum diuersarum, e commistione abscedunt a se mutuo, & ad regiones distinctas feruntur, absistentes mutuo.

Nec

Nec diſceſſu, quo partes vnitæ caloris ſoluentis efficacia ſeparantur. Nec exſpiratione, qua pars in ſpiritum attenuata diſcedit, vt in humidis, quando diuaporatione pars corporis ſubtracto calore ſeparatur: ſic res ſublimandæ diuaporantur. In ſiccis, quando exhalatione ſpiritus ſicci per calorem in aerem eleuati, diſcedunt! ſic metallorum fumus in Realgar concreſcit. Non reſolutione commixtorum, qua partes inter ſe commixtæ reſeratis clauſis internis, operante calore, per humorem diſcedunt; vt ſi acetum, lacti infuſum ſeparat, ſerum, butyrum & caſeum, vel metalla commixta in Regulum funduntur.

Non dilutione, qua foſſilia aqueo lauacro diluta, ita ſegregantur, vt grauibus ſubſiſtentibus, leuia emineant, medium occupent media, quæ perficitur motu naturali, dum grauia fundum petunt, vel motu violento, quo ad latus incuſſu materia pellitur, perficitur id per lintrem humili margine, oblongam, & altera parte in acutum tendentem, quæ manibus huc & illuc agitatur, ac lutum metallicum, immiſſo deſuper aquæ riuo in eo lauatur, donec grauior pars ſubſideat, excuſſa leuiore: ſic in Carinthia e luto diluunt aurum.

Non liquatione embaptica, qua res in humorem demerſa eouſque detinetur, donec delicuerit; ſic gummata aceto immerſa ſoluuntur.

Non liquatione halituoſa, qua res radiis ſolis, vel igni exponitur, & a calore ſoluitur, quo modo liqueſcunt olea & ſulphura. Sed liquatione vaporoſa, qua ſalia in ſubtilem pulueꝛem redacta, aeri vapido & frigido exponũtur, & humeſcendo in liquorem ſoluuntur.

Soluta quarto mutationis gradu ſcilicet putrefactione, qua viuentia intereunt, ac demortua reuiuiſcunt, ad altiorem ſubſtantiæ, ac virtutis dignitatem promoueri debent,

non fermentatione, qua videlicet anima cum corpore incorporatur, vt ei naturalem, odorem, gustum, & colorem per naturalem inspissationem rerum separatarum instauret; sic requiritur, v.g. ad potuum fermentationem, fex e vino, vel cereuisia, qua feruescunt, & secessu facto repurgantur. Ad massam frumentaceam commune illud fermentum acidum. Ad fermentanda metalla, oleum Solis & Lunę, quod est fermentum odoratum fragrantissimum; sed circulatione, qua liquor purus per circularem solutionem & coagulationem in pelicano, agente calore, maturatur. Hæc liquorem attenuat, in aerem conuertit, ac rursus in liquorem fundit, donec ipsum in terram mutet. Tota hæc operatio peragitur, in fimo, vel Athanare, per mensem suum, donec circulatio absoluta sit.

Terra hæc benedicta quinto mutationis gradu destillanda venit, non per descensum, vbi absque eleuatione prolectatus calore subtracto liquor deorsum distillat, vt si eliquatus, e re succus per suffurnium subducitur, & descendit, vel per fusionem, vt quando calces metallorum, fusione reducuntur, vel per deliquium, vt quando calcinata inclinatæ tabulæ imposita, in loco frigido guttatim soluuntur, vel per ouorum acetabula suspensa super bucillis disposita, dato foramine subterlabendi, &c.

Nec per descensum, quando in destillatione descensoria liquor prolectatus, calore supra admoto transsudat, guttatimque in receptaculum defertur, quod per inhumationem descensoriam fit, quando in terrę foueam, cuius latera incrustantur argilla, ponitur olla, ad hoc munus accommodata, cui datur ignis circularis, quo pacto olea ex lignis, succino. &c. destillantur. Vel nonnunquam per sartaginem, quomodo destillantur flores lento igne, vt odorem, & colorem sui floris retineant, si in vmbra resiccati sint, vt nonnihil flaccescant; olla

locan-

canda eſt in aqua frigida fere vſque ad collum.

Non per aſcenſum, recte per alembicum, vtpote quando cucurbitæ rectæ, vel veſicæ imponitur alembicus roſtratus ſimplex, vel multiplex cum totidem roſtris ad diuerſos liquores vna opera excipiendos. Nec per Balneum roris, in quo vapor duntaxat, vas continens reuerberat, quo pacto flores, &c. quæ facile aſcendunt, deſtillantur.

Non per balneum Mariæ; cuius calor eſt plerumque primi gradus, & competit herbis, quæ puluerifatæ in proprio ſucco, prius debent per triduum macerari: Non per balneum ſiccum, vt ſi catino res imponātur veſicæ amplæ ex cupro ſtrannato, cuius operculum eſt alembicus nōnunquam ſerpentina, & fit in furno acceſiæ cum minori moleſtia.

Non per veſicam, non per cacatos. Non per Solem, cryſtallos, parabolam, &c. Sed hæc deſtillatio oblique per inclinationem inſtituenda eſt, vbi vas ſubſtantiam continens in latus inclinato roſtro, prorſum ponitur, & dicitur deſtillatio per retortam, quæ fit in arena, vbi calore terra noſtra benedicta reſoluta halitum ſpirat; qui in vaporem mutatus, per ſtillicidium in excipulum infra locatum, ac ſigillo Hermetis fortiter retortæ agglutinatum, coagulatus, defertur.

Tandem hæc aqua cum volatilis ſit, ſexto mutationis gradu ſcilicet coagulatione, quæ eſt rerum mollium induratio, ſpirituumque volatilium confixatio coaguletur. Non per coactionem diuerſorum corporum, qua diuerſa per minima vndequaque in vnam maſſam coagulantur. Neque per incerationem, qua res ſicca humore per combibitionem lentam, ad conſiſtentiam ceræ remollitæ coagulatur, quo pacto, lacte virgineo inebriatur Magneſia ad iuſtam coagulationem. Neque per incorporationem qua res humida cum ſiccis in vnum corpus per formam maſſæ con-

temperantur, ſicut Pharmacopæi pilulas conficiunt. Neque per colliquationem, qua plura fuſilia in igne ad vnam maſſam per eliquationem commiſcentur. Huius opera Chymiſtæ naturæ æmuli gemmas fundunt. Neque per confuſionem, qua actu liquida, quæ per ſe fluere poſſunt, coniunguntur, vt ſi tabulata conficiuntur e ſaccharo & tragaganthо.

Neque per conglutinationem, qua manente natura conglutinatorum, per gluten coniunguntur ad coagulum, vt ſi per vernicem partes agglutinantur.

Neque per ſegregationem, qua quibuſdam ſegregatis reliquum concreſcit, calore, quo vaporat paulatim humor, qui erat cauſſa fluoris, ad conſiſtentiam craſſiorem: ita Pharmacopæi extracta coagulant.

Neque per coactionem, quæ fit ſolo frigore, vt galatinæ vel plumbi fumo, corroſione æris viridis, vt hydrargyrus.

Vel præcipitatione, qua ſpiritus ſalis res humidas coagulat: quo pacto Mercurius medicante Salis ſpiritu fixatur. Sed per comprehenſionem, qua totum ſimul comprehenſum remiſtumque ad vniformem ſubſtantiam congelatione coagulatur, vbi calor ſpiritus, volatiles in ſubſtantia molli propria confixat.

Hoc labore corpus ad ſubſtantiæ fixæ puritatem coagulatione, deſtillatione, circulatione, ſolutione, ſublimatione, & calcinatione ſeruata, ſubſtantiali craſi ac radice exaltatur, vireſque præſtantiſſimas acquirit vt puritate ſua corpora fingat, morboſque arceat.

Qui igitur talis naturæ præparator eſſe vult, hæc illũ tranſire oportet: alias merus popinarius aut coquus, aut tortor erit. Requirit enim natura, vt omnimodo præparatio in homine ſit, velut in ipſa. Hoc eſt, vt eam Magiſtram ſequamur, non cerebri noſtri ineptias. Quid pſeudomedici ac ſeplaſiarii

aut

aut fermentant, aut putrefaciunt, aut digerunt, aut exaltant? Nihil quidem illis satis est, si variam quandam iusculorum miscellam concinnant, & sic homines turpiter decipiunt. Quis laudet Medicum, qui modum ac rationem naturę non didicit? aut quis huic fidet? Nihil enim aliud esse debet Medicus, quam ipsius naturæ consultus, qui eius naturam, proprietatem & conditionem apprime calleat; si ista ignoret, quid obsecro possit in dissolutione? Tam rudis est Misochymicorum simplicitas, vt plerique omnes putent, in contundendo omnia sita esse, adeoq; sufficere, si scribant, Cribrentur & misceantur, fiat puluis cum saccharo. Phuy Diabole.

CAPVT XX.

Cur aqua huius fontis non sit acida, sed dulcis?

QVOD si mireris, quomodo minerale huius fontis acredinem suam & vim corrosiuam, qua vt leo in omnia corpora sæuit, exuat, ac deponat, en natura ipsa foris stans, te docet & clamat:

Omne manifestum est suo occulto contrarium.

Leo hic noster colore, vt oculus iudicat, viridis & Lazurius est; sed si occultum in ipso conspicias, rubrum est. Id quod occultum est foras non erumpit, nisi corpore occiso & mortuo. Mortuum corpus omnis virtutis expers, & ad agendum ineptum. Quod si reuiuiscat, centuplo fructu & virtute resurgit, & vitam gloriosam agit.

Qui ergo nescit occidere, & a mortuis resuscitare, naturam non agnoscit. Leo hic noster, sapore acutus, acer, & valde corrosiuus, quod si eius occultum fit manifestum, dulcis, suauis ac blandus est: ideo omne disruptum conglutinat, balsami naturam adeptus, corrosiuo contrarius: quoniam *omne manifestum est suo occulto contrarium.*

Vultis, vt hoc exemplis demonstremus? Mel vobis gustu dulce & suaue, sed si eius occultum destillatione euocetur, nonne adeo acutum, mordax, & corrodens est, vt aurum soluat: Cassiæ flores, saccharũ, & similia dulcia, si eorum, compages caloris æstu soluatur, vt interna eorũ virtus promanet, quid illis amarius? Nunquid si ægris vestris eiusmodi large præbeatis, vomitum austerum, & amarum cieunt? Quam supina illa est ignorantia, dicere saccharum & dulcia bilem augere: saccharum euomunt, non bilem, Archæi hoc opus est, dulce in amarum mutare: & contra item nigerrimum cibum in altissimum chylum conuertere: vt vel hinc appareat *Manifestum suo occulto contrarium.*

At quoniam amara, naturæ aduersa, illa ipsa corpora naturam respuit, ac eructat; ita istis assumtis, quæ Pseudomedici omnibus fere immiscent medicinis, de morbo in morbum homines præcipitantur.

Hæc caussa est, cur laxus ventriculus amaro absynthio corroboretur; quoniam eius occultum dulce & naturæ amicum est: sic coloquintides si destilletur, dulcem liquorem destillat, medicina in morbis salinis efficacissima.

Leo viridis calore agitatus, subito spiritum suum, sufflat: occisus & rediuiuus tarde spirat, & si incalescat, calorem diu retinet. Ideo huius fontis aqua calorem, vt omnia e calcinatis resoluta solent, diu retinet, non facile, nisi nimium excitetur, exspirat: sed robur suum, vt glorificatum corpus in se detinet: qua nota ab aqua communi rite dignoscitur.

Leo viridis tactu asper, occisus & rediuiuus, mollis & mucosus: vrit & corrodit, hic refrigerat, & conglutinat: ille venenosus, hic saluberrimus: ille si paululum irritetur, oculos lædit, hic si moueatur, illos ipsos recreat: ille lacrymas elicit, hic easdem sistit: aures ille obstruit, hic reserat: & vt naturæ

vim

vim verbis omnem comprehendam, *Occultum est suo manifesto contrarium.*

Porro quorum occultum manifestum nunc factum est, nouam regeneratam vitam habent, & fixam, seu permanentem naturam naturæ beneficio acquisierunt, vt horum corpora nullo mutationis gradu possint segregari, neque in suum esse primum reduci: ideo hæc aqua etsi variis modis torqueatur, nulla salia, nulla metalla, vel perfecta, vel imperfecta ex se parit.

Inani ergo gloria illi se iactitant Misochymici, qui post destillationem in fundo cucurbitæ reperisse se lapidem ærarium, glaream, calcanthum, cuprum, & plumbum affirmare audent. Nam quæ alteram vitam agunt, & perfecte per calcinationem & solutionem identidem repetitam elaborata sunt, per ignis gradus amplius perfici non possunt: ita nec in deterius ab igne mutari; siquidem omnia ignis ad perfectionem promouet. Vnde quæ ignem non tolerant imperfecta sunt, putredini & morti obnoxia: quæ autem mortua sunt, & resuscitata, amplius non moriuntur.

Quod huius fontis aqua e capite mortuo resuscitata sit, præter mineram fonti præsentem & adhærentem, testantur huius aquæ opera. Quod enim adhuc putridum putredini & morti obnoxium, quomodo alia a putredine præcustodiet, liberabit, ac tutabitur? Nemo dat alteri id, quod non habet. Hæc vero aqua putredinem a corporibus arcet, dum febres putridas sanat, quod plurimi testantur, qui huius aquæ vsu a febre tertiana, quotidiana, &c. liberati sunt. Libera ergo a putredine, vt sit, necesse est: quo modo vero libera erit, si resuscitata non sit? Perfecta ergo & pura est, nec vllas fœces depônit, nisi forsan impura & agitata sit haustu, vel sorditiem quandã ab instrumentis, in quibus detinetur, contraxit. Nonne dum

apoplexiæ medetur tenuitate ſua, ſolidas corporis partes penetrat, aperit, digerit, diſſoluit, conſumit, corroborat? Nonne actiones ipſæ nobiliſſimæ vitam nouam & regeneratam teſtantur? Nunquid corpora antequam debitum naturæ perſoluant, craſſa, denſa, obſcura, turbida, commixta ſunt? Reſuſcitata vero ſubtilia, tenuia, penetrãtia, quæ cetera mouent, regunt, ac gubernant?

Quare aqua huius fontis non penetraret, aperiret, diſſiparet, dura ſolueret, niſi corpus glorificatum e capite mortuo aſſumſiſſet. Quod vel maxime elucet, dum dolores podagricos lenit. Hic namque dolor fere ab omnibus medicinis magis irritatur & excitatur. Quod ſi calida applicetur, etſi hæc tenuiorem ſubſtantiam ſalis calcinati beneficio in prima vita ſortita ſint; Externam cutim inflammant, exulcerant. Si frigida, liquor in tumoribus contentus congelatur; ſi anodyna quæ medium ſeruant, applicentur, non penetrant, nec centrum morbi attingunt.

Hæc vero aqua cum penetret, nec inflammet, ardorem reſtinguat, nec tumorem induret, alterius ordinis ſit neceſſe eſt. Ex ſalium genere hanc aquam oriri, ex hoc prædicto effectu plane colligitur, quorum acrimonia calcinatione & ſolutione cohobata ablata eſt, quæ auferri non poteſt, niſi eius internum ſeu occultum fuit manifeſtum: natura ſua acris eſt, ſal tamen vt ſit, cum dolores podagricos leniat, neceſſe eſt. Si autem ſal acris eſſet, dolores podagricos non leniret, ſed magis irritaret: cum dolor podagricus ex efferueſcentia ſalis dulcis & acuti, ceu acetoſi ſimul commixti excitetur.

Quicquid ergo dulci cremori, quo nerui & ligamenta aluntur, ſimilitudine, conuenit, ſalem acetoſum corrigit, quo correcto ceſſat ebulitio & dolor ſedatur. Aqua ergo hæc nihil eſt aliud, quam ſal dulcis reſolutus, quod ſapore manifeſte depre-

deprehenditur; exiguam tamen acredinē in se retinet, quam experiuntur ii, qui oculos ea lauant.

Verum Sal nullus dulcis est, nisi eius occultum fiat manifestum, hoc est, nisi calcinatione occidatur, & solutione resuscitetur eius occultum non fit manifestum. Quare constat leonem occisum fuisse, quoniam mortua nihil agunt, hæc autem aqua maximæ sit actiuitatis, liquido patet, pristinas vires & longe præstantiores acquisiuisse; fixa ergo est, & exicto acri sapore, dulcem nacta, quo dolores podagricos lenit, & salem acutum, qui ligamenta ferit, expugnat, quo expugnato, dolor dehiscit.

Magis hoc conspicuum fit, si huius aquæ proprium diligenter animo perpendatur. Cum enim omnes aquæ, imo & acidulæ calefactæ facile euaporant, hæc suum halitum retinet, nec nisi nimium irritetur, exspirat.

Huius rei nulla alia caussa, nisi quod hæc aqua, ex calcinato corpore, hoc est, capite mortuo & soluto ipso, liquorem suum, hoc est, vitam nouam adepta sit.

Quod calcinatur, per ignis vehementiam interit: quod si proprio spiritu affletur, & in liquorē soluatur, resuscitatur, id suum humidum in se retinet, & igni resistit, quia igne generatum est.

Huius rei veritas oleo Tartari comprobatur, id si incalescat, calorem quoque diu retinet: cuius humidum si euocetur violento igne, hoc est, coctione, salis pōdus, quale prius librabat, in fundo reperies, hoc si iterum soluas, coagules, coagulatum sublimes, eandem fixam naturam, qualem ex capite mortuo, rubeo, natura fundit, habebis. Hāc si loco frigido per mensem abscondas, se in album corpus coagulare nititur. Idem compertum est in hac aqua, si per aliquot menses in cella vinaria vasculo mundo inclusa detineatur, ex se fœ-

ces albas separat. Quo patet frigus plus iuris in ipsam habere ipso igne: illud enim ipsam congelare aggreditur. Proprietates ergo & actiones huius aquæ satis superque approbant, eam fixam & perfectam naturam habere.

Sed dices, quomodo fixā & incorruptibilem hanc aquam statuis, cum ignis ipsam absorbeat, & a calore in fumum mutata ad cœlum volitet? Respondeo duobus modis res quædam fixa constans & perpetua dicitur

Primo Si res nullis mutationis gradibus, quibus rerum naturalium ortus & interitus promouetur, q; blādo calore exsequitur; intereat. Altero vero modo res fixa dicitur, quæ omnibus agentibus resistit, quocunque motu violento tentetur: hoc modo corpora ætherea dicuntur fixa, ideo quod tantam soliditatem primorum corporum vnione nacta sint, vt omnem elementorum actiuitatem respuant. Verum hoc modo aqua huius fontis a natura elaborata non est, nec fixa dicitur, quin non ab actiuitate & motu violento intereat, ac in nihilum redigatur; sed fixam habet naturam, in quantum mutationi, qua res naturali morte pereunt, non est subiecta, sed perpetuo nisi alterius corporis aduentitii admixtione adulteretur, clara, pellucida, integra ac incorrupta maneat, & in alterum, tertium, quartū lhastrum, vitam agat, quam calcinatione cohobata, consequitur. Hæc vnicuique rei veterem exuunt cutem, prioribus facultatibus destructis, longe nobiliores impertiunt, vt videre est, in alimentis, dum illa ab Archæo soluuntur, priora vitæ accidentia corrumpuntur, odore, sapore, calore pereunte, quorum loco & alia istis prorsus contraria ac diuersa Archæus parturit.

Hinc si cibus nigerrimus deuoretur, ab Archæo in chylum albissimum transmutatur, si valde amarus vt absynthium, &c. in dulcem transit dulcis, vt mel in amarum migrat, duris-

durissimum in mollissimum. Quid adamante durius? eo soluto, quid mollius? quid lapides aliud nisi aqua? Mirum quod fœtidissimus fimus vaccinus, si sublimetur, ambræ spiret odorem. Serpens & vipera licet dentibus suis venenatis lethalia infligant vulnera, cetera tamen eorundem pars salubris & salutifera existit. Arsenicum quod venenorũ summum est, cuius drachma vna equum quemlibet strangulat ac interimit. Ignito ipsum nitro, virus esse desinet: Huius si libras decem sumas, nihil damni senties. Hinc vide, quid discriminis sit, & quid præparatio rerum faciat.

Hæc enim naturæ secreta Poetæ suis occultarunt fabulis, velleri aureo, & pretiosis in horto Hesperidum fructibus custodiendis, terribiles & venenatos Dracones præesse finxerunt. Ex hoc, si mentis oculis rem intentius Mrochymici inspexerint, facile agnoscent, in rebus etiam extrinsecis venenatis, opus suum magnum, medicinamque suam Catholicam ac vniuersalem inquirendam esse, nõ videlicet ex prima stolida ignorantia, in primo statim operis limine, quod (vt hactenus factum) plerumque tactu asperum, visu horribile, odoratu fœtidum, gustu ingratum, qualitate venenatum apparet, hoc est, nõ ab exteriore cortice; sed ab interiore nucleo; arcanum eruendum: non secus, vt e vitriolo, quod externe tactu asperum est, in quo perniciosum, delitescit venenum; ex cuius tamen interiore corpore summum & admirandum educitur alexipharmacum.

Capvt XXII.

Quid ægro huius fontis aqua vsuro, & medico ipsam suadenti obseruatu opus sit?

Primo omnium opus est, vt expertum æger consulat medicum, an aqua illi sit profutura, vel obfutura. Reperiuntur

enim pſeudemedici, qui poſtquam valde defatigarint ægros, & præter rationem & inſtitutum aliquot amphoras Iulepiorum, ſyruporum, apozematum, epotandas, & modios rotularum pillularum & electuariorum deuorando præbuerint: quibus ſibi non ſuccedentibus, ſtatim nulla alia conſideratione habita, relegant miſeros patientes in aquas medicatas tanquam ad anchoram ſacram, non conſiderantes antea, an aquæ illæ conueniant: vel quia ignorant naturam aquarum, vel quia ignorant naturam morbi, vel vtriuſque ſimul & ita caſu quicquid agunt, agunt. Vnde non eſt mirum, ſi ægros defatigent.

Medicus diligenter conſideret, an conſentiat habitus corporis & ſubiectum ipſum: poſſet enim eſſe, vt ratione effectus, aquæ medicatæ potus optime cõueniret, ſed poſtea non conueniret, ratione ſubiecti, v. g. ſi æger eſſet inobediens, ita vt vellet interdiu dormire, omnia indiſcriminatim comedere, & ea inſtituere, vt aquæ potius obeſſent, quam prodeſſent, nec rectam viuendi rationem poſſet nec vellet obſeruare, illi nullo modo aqua medicata propinanda eſt, etſi ratione morbi conueniret; quia aqua mortem acceleraret: hoc non obſeruato nobiles quoſdam occubuiſſe, non tranſilit hominum memoriam.

Hoc igitur primum eſt, quod circa ſubiectum eſt obſeruandum, videlicet quod ſit obediens.

Deinde perpendenda ætas eſt: neque enim in qualibet ætate conuenit potus aquarum mineralium: Vnde quidam puerulis circa duodecimum annum denegant aquas medicatas.

Verum hanc aquam puerulis vnius medii anni, pauca quantitate ſalubriter exhibent, & in cibis adminiſtratur; exſiccat enim ſuperfluitates ventriculi & corroborat: Sed ætas

ſenilis

ſenilis non fert potum huius aquæ: calor namque in ſenibus eſt valde debilis,& ideo ſi multa aquæ quantitas exhiberetur, extingueret calorem illum; ſi vero pauca quantitas,non permearet, maxime cum aqua hæc frigidis complexionibus ſua frigiditate,nonnihil obſit, ventriculum inflet, ac hepar ac œdema durum promoueat.

Tandem contemplandus eſt habitus totius corporis & partium,etiam principum;vnde ſi quis eſſet,qui haberet ventriculum imbecillem propter frigiditatem introductam, ratione praui victus & habitus corporis, requirat vſum huius aquæ, vt refrigeraret; tamen non eſt exhibenda propter frigiditatem ventriculi. Extingueretur enim calor ipſius, vt nullum cibum concoqueret.

Quare cum potus aquarũ conuenit ratione totius, obſeruandum eſt, an obfuturus ſit ratione alterius partis; & dum hoc innoteſcat,nullo modo exhibenda eſt.Obſeruandum id circa ſubiectum eſt, ne æger laboret intemperie frigida, vel hydrope;quia hæc aqua multum refrigerat,& modice aſtringit, vnde hydropicis auerſatur.

Quantum ad tempus attinet,exiſtimo, hanc aquam omni tempore poſſe exhiberi thalami aere correcto,ſi modo aqua peregrina non confluat, quæ cum æſtiuo tempore terræ hiatu abſorbeatur,eo maxime tempore adminiſtranda erit.

Locus porro in quo hac aqua vtentes verſantur, non debet eſſe pluuioſus,nec nimis frigidus,nec nimis æſtuoſus,ſed temperatus & a ventis liber.

Quamuis corpora ante potum purganda ſunt; aliquibus tamen feliciter ſucceſſit ſanatio abſque purgatione præmiſſa per Pharmacum; Aqua enim hæc vi ſua alexiteria & proprietate innatiua morbos tollit, quamuis nonnihil vrinam ſtimulet,qua tartaroſam materiam ſimul educit.

CAPVT XXIII.

Quænam sint obseruanda in administratione potus?

ANTEQVAM æger incipiat bibere aquam, moderate inambulet, vt viscera incalescant; quo fit, vt validius attrahatur aquæ facultas, & viscera robustiora reddita, melius expellant: bibat vero aquam leniter, non continuata serie; Sed eam partiri potest in quatuor vel quinque vices, ne aquam copia ingestam rursus per vomitum excernat. Cum vero totam aquam præordinatam biberit, inambulet, vsque quo venerit prandii hora, & aliquam partem per vrinam excreuerit. Continuata vero serie hanc oportet bibere aquam, non vt quidam volunt alternis diebus; quoniam ratione quietis interpositæ per vnam diem, difficilius redditur aqua, vt experientia docet. Nam videmus, quod si hodie exhibeamus alicui, hodie nõ bene ipsam reddet. Si cras etiam bibat & perendie, & aliis diebus sane dierum continuatio, quotidie eam melius reddet, quia natura inualescit in expellendo.

At si aqua exhibeatur alternis diebus tantum, cum prima die mala reddatur, difficilius adhuc redderetur tertia die, & aliis diebus sequentibus, quia ratione moræ interpositæ, natura distrahitur ab expulsione, & torpescit.

Porro multo minori dosi hæc aqua, si scaturigo nõ sit aqua communi contaminata, quam aliarum acidularum ac thermarum, assumenda est. Est enim magnæ actiuitatis, ita vt grauissimos morbos, & quidem chronicos, spatio 4. vel 5. dierum curauerit. Vnica ergo vice vltra Lib. 2. non exhibeantur: Incipiendum vero est a pauca quantitate, primo die cyathum vnum, hoc est, ℥iiij. Altera ℥ 8. Et ita progrediendo, donec vnica vice ad heminas fere duas peruenerit, quo non est vlterius ad maiorem cyathorum numerum ascendendum, nec

in

in ea quantitate persistendum, sed retrocedendum est, singula die diminnendo cyathum vnum: & sic spatio 12. dierum renersum erit ad primum cyathum. In duplici calefiat aqua vase; non enim tam frigida, sed calida vel tepida assumi debet. Qui volunt, vt ventrem soluat, admisceant aliquid salis primo cyatho, ita ratione salsedinis irritabit intestina ad expulsionem.

CAPVT XXIIII.

An aqua huius fontis sit pro balneis apta, & quanam sint ante vsum balnei obseruanda?

AQVA huius fontis quamuis valde frigida e vena sua scaturiat; ex ea tamẽ ad varias ægritudines depellendas præparatur balneum: eius caliditas moderari debet ratione habita ad tempus, ad morbos, ad ætatem, & ad corporis habitum, temperaturamque.

Nam habitus robustior & debilior non eodem modo calidum balneum ferunt: similiter temperatura calida & frigida non æque calidam postulant.

Obseruandum quoque est, vt aqua sit pura, & ideo quotidie immutanda.

Nam cum bis æger fuerit in balneo, aqua solet amittere facultatem, & propter commixtas sordes putrescere.

Tempus ingrediendi balneum non minus obseruatu necessarium est; bis in die, mane horam circiter sextam, & post prandium ad horam secundam balneum ingredi oportet.

Mora conueniens est trium, & ad summum 4. horarum: necesse tamen non est, vt æger singulis vicibns tam longam in balneo moram trahat; sed obseruanda est quantitas, qua vult vti balneo, & hanc quantitatem diuidat in 5. vel 6. partes, & sensim procedẽdo augeat, quousque deueniat ad summam

niorum. Certus tamen & præciſus horarum numerus nemini deſignari poteſt nec debet. Hoc ſiquidem conſilium non a Doctoribus, ſed a cōditione morbi, tolerantia ægri, virium, temperaturæ habitu, &c. petitur.

Determinatus numerus dierum in vtendis aquis pro balneo ſimiliter deſignari non poteſt. Non enim omnes morbi ſunt æquæ rebelles; vires etiam ægri & commoda, quæ æger conſequitur ex balneo, non æquali librantur lancea. Nam ſi experiatur, quod ſanetur morbus, & quanto magis vtitur balneo, tanto maius iuuamentum recipiat; debet eo vſque vti, quouſque viderit, quod recipiat iuuamentum: ita ſunt aliqui, qui vtuntur balneo 10. 15. 20 30. diebus. Conſuetus vero numerus eſt quindecim dierum.

Cum egreditur e balneo æger, abſtergatur optime, & bene tectus maneat in lecto per horam; ſique laſſus fuerit, dormiat, ſudetq;, ſurgat, poſtea & abſtergat ſudorem, & bene indutus deambulet; deinde accipiat prandium tenue & Philoſophicum, vt veſperi poſſit vti balneo. Hora poſtea cœnæ poteſt canonice viuere, & comedere.

Caueat præterea, ne a prandio dormiat. Tertia poſtmodum hora cibo cōcocto ingrediatur iterū balneum, ita vt bis in die balneo vtatur: Excepta tamē prima & ſecunda die, quibus ſat eſt, ſemel ſe lauare, ne repentino & inconſueto motu natura obruatur. Quam ob cauſſam ſenſim deſcendat in balneum, nec ſe ſubito in balneū præcipitet, vt quidam faciunt, ſed prius immittat pedes, mox crura, poſtea ſinſim totū corpus vſq; ad ceruicem, ſi ægritudo poſtulet.

Poſt balneum, per quadraginta ſaltem dies veſcatur æger bonis cibis & facilis concoctionis, caueat a Venere, a vento, a pluuia, & præcipue a Sole, labore, nimia exercitatione, maxime vero animi temperet motus.

CAPVT.

CAPVT XXV.

An aqua fontis huius per stillicidium sit administranda?

CVM non raro quædam corporis partes maxima duritie constringantur: vt eæ non possint vllo modo per missionem in balneo emolliri & superari; ideo inuenerunt medici stillicidium, vt aquæ facultas a motu adiuta penetraret magis abditas ipsius membri partes.

Vtimur ergo stillicidio ad emolliendam, laxandamq; partem aliquam induratam & corroborandam.

Organa, quæ recipiunt iuuamentum a stillicidio, sunt illa omnia, quæ apta sunt, vt supra ipsa cadat aqua, sed præcipue caput & partes neruosę & articuli. Hepar, ventriculus & consimiles partes, cum molles sint, facile alterantur, patiunturque per insessionem, & non egent stillicidio: nec vlla pars quocunque morbo affecta impedit vsum stillicidii huius aquæ: nullos enim sulphureos, aut bituminis Mysios, &c. Vapores in auram spirat, quibus caput aggrauetur. Hoc vnice cauendum est, ne fiat in loco balnei pluuioso, uētoso, nec Soli exposito, sed in Musæo nonnihil calefacto & incluso. Si pars quædam stillicidio subiicienda est, v. g. brachium, habeat paratum alueolum ligneum, in quod possit inserere brachium, vt aqua supra humerum cadens colligatur in alueolo, & stato tempore foueat brachium. Cum perfectum fuerit stillicidicum, educat brachium ex alueolo, & inungat ipsum aliquo oleo morbo conueniente.

Si caput stillicidio subiiciendum, opus est capillos abradere, non quidem totum, sed ad futuram coronalem, & sagittariam. Ne in hoc aberret chirurgus, extendat manum, applicet volam suam turbini nasi & obseruet quousq; medius

digitus, qui longior est reliquis, perueniat, & vbi digitus desinit, ibidem incipiat abradere, tendens versus sinciput, ita, quod abrasio per lõgitudinem sit quatuor digitorum, per latitudinem autem duorum. Abraso hoc modo capite, subiiciatur guttæ cadenti ex alto, & subtus sit vasculum, in quo colligatur aqua, ne pauimentum totum inundet.

Solet ęger, dum recipit stillicidium, corripi magno somno, quia incalescente capite ob stillicidium, multi vapores attrahuntur ad cerebrum: excitetur igitur æger, & non permittatur, vt dormiat.

Mora sub stillicidio trahenda horam cum dimidia nõ excedat, trãsacto tempore subtrahat stillicidio caput, abstergatur sicceturq; pannis non admodum calidis, ac frustum panni lintei rubri abrasæ parti applicetur, tegaturq; integumento, vt caliditas aquæ impressa diu conseruetur, ne occurrens aer obsit.

Numerus dierum in stillicidio est duodecim, vel ad summum 15. Nec pluribus duabus vicibus in die est vtendum stillicidio.

Euenit nõ raro, vt stillicidii vsu catharrus per venas, quandoque per palatum descendat; aliquando labitur ad thoracem, excitans magnam tussim, & tunc per aliquot dies a stillicidio abstineat, quæ si vehemens nõ sit, vtatur tantum semel in die, & breuioris temporis spatio: aqua etiam sit minus calida, detineatq; æger in ore saccharumcandi, & cum it dormitum, assumat saccharum rosaceum.

Post stillicidium gestet caput tectum quadraginta saltem dies, quo tempore nunquam sibi abluat caput, & diętam non spernat bonam.

Capvt XXVI.

Fontis huius aqua quibus conueniat morbis?

STillicidium competit capitis neruorum articulorumq; affectibus, ex caussa siue frigida siue humida prouenientibus, maxime ad vertiginē aurium, tinnitum, surditatem, ad linguę resolutionem, paralysin, epilepsiam, oculorum inflammationes, amblyopiam, amaurosim, & qualescunque suffusiones administrat, exsiccando, calefaciendo, euacuando tollit dolores podagricos, arthreticos lenit, & laxātes articulos obfirmat, chirurgicales morbos omnes infra cutem & carnem vel in cute & carne, tam abditos & latentes quam manifestos sanat; vt sunt, macies, ariditas, syrones, pruritus, scabies, impetigines, esthiomena, fistulæ, tumores, & vlcera omnia sub crure enata, manentia & sordida, & impuritates aliæ cum scabie & pruritu contractæ. Vera hæc est aqua medicina, qua chyrurgus in omnibus desperatis morbis vti potest. Si namque natura operationi non sufficit: facit hoc balneum. Sicut enim ventus humores terræ, aut Sol fouearum aquas absorbet & exsiccat; ita & stillicidii seu insessionis huius aquæ vsu fluxus morborum consumitur.

Potus astmaticis, cardiacis, grauiter tussientibus, febribus putridis opitulatur, morbos ex tartaro oriundos consumit, calculum vesicæ & renum comminuit, intemperiem hepatis calidam corrigit, lienis obstructiones aperit, mulierum profluuia alba & vesicæ vlcera sanat.

Hæc multorum testimonio comprobari possent, si centurias cōscribere animus esset. Sat magna nobis fila suppeditauit Clariss. ac expertissimus Sebastianus Roth, Reipub. Snebergensis medicus, amicus meus singularis, cuius con-

ſilio ac fideli opera & huius aquæ beneficio quam plurimi ſunt liberati a morbis combinatis.

Capvt XXVII.

Symptomata contingentia ex potu huius aquæ quot ſint? & quo modo corrigenda?

SVboriuntur non raro ex vſu huius fontis aquæ tam grauia ſymptomata, vt eius vſum omnino vitare, vel magna cura ea auertere oporteat.

Quidam aquam aſſumptam paulo poſt euomunt, nec eam retinere poſſunt. Quidam eam retinent, nec iterum excernere valent, quibus ardor vrinæ ſuperuenit.

Alij ſomno violento opprimuntur; Alij vigilia ſumma vexantur; Alij laſſitudine, ac omnium membrorum imbecillitate corripiuntur.

Quibus igitur mediis his ſuccurrendum, indicare oportet.

Capvt XXVIII.

Quibus mediis vomitus ſedandus?

QVod ſi vomitus accidat prima die, qua accipitur aqua, non timendus, ſed bonus & ſalutaris eſt; quoniam euacuantur plurima excrementa, diu forſan in ventriculo retenta; quod ſi tertia vel quarta die accidat vomitus, diuertere eum oportet ad inferiora, enemate eiuſdem aquæ, parumper ſalitæ; quo iterum eiecto, aqua exhibenda eſt, applicando cucurbitulam ad regionem ventriculi: quam ſi retinuerit, bonum erit ſignum: altera die enema cohobetur, abſque applicatione cucurbitulæ: quod ſi aquam iterum euomuerit, deſiſtendum eſt ab exhibitione aquæ, donec vomitus edatur. Cum vero variorum morborum, vt lapidis, calculi,

pestis, cholicæ, iliacæ, podagræ, lepræ, febrium, &c. Symptoma vomitus sit, ipse morbus inuestigandus ac expugnandus est: quorum vela hic contrahamus, ne forte longiori mora in vertices inextricabiles abrepti, benigno lectori molestiam creare videamur.

Potest tamen sequenti antidoto, condito vel tragea, ventriculus corroborari, quæ licet paratu sit facilima, nec ex numerosa ingredientium aut aromatum multitudine præparetur; exhibetur tamen non tantū ad ventriculum confortandum, cui proprie conuenit; sed etiam ad capitis affectus, ad hemicranias acutissimas, vertiginem, melancholiam hypochontriacam, cachexiam, febrem quartanam, ad calculum, & similes affectus. Habet enim facultatem dissoluendi & liquefaciendi tartarum glutinosum, qui plurimorum morborum caussa, potissimum vomitus, existit. Huius medicamenti basis & caput est aronis radix, vt hic in solo Babenbergensi fere dulcis & parum linguam pungens crescit: omnis hæc exustionis expers est, quæ alias tangentis manus, bullas siue pustulas inducit, easque exulcerat: alibi ergo effossa maceretur in vino per noctem, & exiccetur in furno, in quo panificia modo cocta fuerint; deinde reducatur in puluerem.

Tragea stomachalis.

℞ *Rad. Aronis nostr. vel vino macerata & exsiccata* ℥ j.
Acori nostr.
Pimpinellæ nostr. ana ℥ j.
Oculorum cancri ʒ *1. s.*
Salis absinthij.
Iuniperi ana ʒ. *s.*
Sacchari rosas. q. s. fiat tragea.

Conditum stomachale.

℞ *Conf. rad. acori*
Arantiorum
Cuoniæ.
Menthæ ana ℥ ß.
Conf. alkerm. ʒ ℈ I.
Magist. mineralis Bezoardici
Mag. Tartari ana ℈ ß. Fiat conditum.

Antidotus stomachica.

℞ *Extract. Baccar. Iuniperi*
Myrobalanorum omnium ana ʒ ß.
Rosata nouellæ ℥ j.
Ol. e nuce moschata chymice extracti ℈ j.
Caryophyllor.
Chalybis ana ℈ ß.
Cum Syr. de acetositate citri fiat antidotus.

CAPVT XXIX.

Qua ratione aqua detenta educenda sit?

QVod si aqua detineatur in intestinis & hypochondriis vel in toto ambitu, vt nec per secessum, nec per vesicam, nec per vomitum, nec per vllam aliam viam egrediatur, euocetur clystere ipsius aquæ hiera simplici admixtæ, altera die bibat iterum aquam, quę si identidem detineatur, educatur eadem ratione, qua fuit educta prior, & non bibat amplius aquam, sed procuret aluum lubricum; multitudo enim materiæ mucosæ in ipsis visceribus exsistentis istius obstructionis persæpe caussa est.

Educta materia denuo tentet bibere aquam admixto sale, primis duobus cyathis, quo facto, si non succedat abstineat.

Quam-

Quamuis ab vſu huius aquæ, cum in minori doſi inſtituta analogia ad alias acidulas & thermas aſſumatur, raro eueniat, vt in toto ambitu detineatur; ad maſſarcum tamen diſpoſito aqua hac vtenti talē quid euenire obſeruauimus, ille a nobis curatus, extracto Elaterij ac maſſæ pill. de nitro ana Gr. ij. Cum mithridatica confectione dentur, in forma pillularum. Adultis valentius ac nobilius medicamentum ad hunc exſtirpandum affectum vix reperiri poteſt. Puerulis ſat potens eſt Rob baccarum Sambuci per cohobium.

CAPVT XXX.

Ardor vrinæ quomodo exſtinguendus?

SÆpius vero euenit, quod ventriculo & inteſtinis refrigeratis aqua per ſeceſſum non excernatur, ſed capiat iter ad veſicam & ſecum ducat alumen ſciſſum cum Sale in renibus detentum, quod magnum vrinæ ardorem concitat, haud leue ſymptoma.

Nam aqua huius fontis Saturnina eſt, multum habens de ſubſtantia vitrioli calcinati, ideo ex ſuo Triual cadens grauior eſt ceteris; cyanea & glauca, quam ob cauſſam tartarum mouet, quod ſi Archæus ab aſtro vincatur, ipſum additione auget & acuit.

Qui ergo ardore vrinæ corripiuntur, prorſus abſtineant ab vſu huius aquæ, donec ardor reſtinguatur, fugiat interea temporis lacticinea, quia caſeus eſt tartarus alabaſtrinus & incurabilis, viſcus inexpulſiuus. Non bibat agreſtem, nec vinum ponticum, nec vllas amnes alkalizatas.

Nam alkali quod fuerit in aqua in tartarum conuertitur, & propria ſubſtantia alkali eſt.

Omnia legumina, piſa, piſces, cancri ſunt de materia tarta-

ri,& cum veniunt ad ſtomachum liquefiunt, & tranſeunt ad ſuam primam materiam, hoc eſt, coagulantur. Noxia ergo ſunt & in hoc ſymptomate vitanda.

Ardor ille anodynis reſtringi debet,& fruſtra acri ſuppoſitorio, vel enemate irritatur aluus, fruſtra pſeudomedici hepar refrigerare ſyrupis & electuariis nituntur. Sal calcinatus hic reſolui debet,hoc fit, ſi foras applices anodyna. Nam vapor in anodynis penetrat,& potens eſt,nō aliter, quam ſi quis os ſupra Mercurium crudum obtendat ad duas circiter horas,quamuis fumum non videat,nihilominus dentium dolorem infert,& os ſaliua replet; ita etiā vapor ex anodynis trāſit ad renes, & ſalem ſciſſum reſoluit, quo reſoluto ardor exſtinguitur.

Anodynum.

℞. *Liquoris papaueris*
Iuſquiami ana ℥ j.
Lolij ʒ ij.
Camphuræ ʒ iij.
Roſarum
Plantaginis
Solatri ana ʒ j.

Hæc ſimul tuſa & in Cantharum indita bulliant, in B. M. ad mollis ſpiſſitudinem, eo inungatur pars dolens. Vel

℞. *Ol. Vrinæ* ℥ j.
Spicæ ʒ j.
Vng. Agrippæ ℥ ij.

Fiat inunctio in Spina dorſi, lumbis & pectine. Quod ſi a calculo obſtructionem inducente vrina delineatur, & ardeat, prouocetur liquore croci ac cantharidum, 4. mutationis gradu elaborato & cum vino correcto. Vt enim aqua ignem, ſic crocus calcem calculi reſtinguit.

Vel:

Vel

℞. *Rubedinis colcothorinæ Gutt. Vij.*
Viticellæ liquoris ℥ j.

Vel

℞. *Ol. Cristallini gutt. vj.*
Mag. lap. Iudaici.
Lyncis ana ℈ ß.
Viticellæ ℥ j.

Si obstructio vehemens sit, conuenit quoque balneum aquæ dulcis, cui herba raparum ac ipsa rapa aut etiam brassica incocta sint.

Incessus ad calculum.

℞. *Fragmentorum, Raparum, Pastinacæ.*
Siseris M. j. Sem. Penoschini.
Chamomillæ Fœniculi
Verbasci lini
Rutæ murariæ Rubeæ tinct.
Arthemisiæ ana M. j.

Coquantur in aqua, quantâ solium dimidium repleat?

CAPVT XXXI.

Quomodo somnus narcoticus excutiatur?

EVenit nonnunquam huius fontis aqua vtentibus, quod vaporosi spiritus iique sulphurei sursum non aliter ac fumus per ipsas membrorum quasi parietum commissuras penetrantes & in superiora capitis euadentes, ac cerebri ventriculos opplentes tendant, vt soporiferas inducant affectiones. Qualitas namque narcotica & soporifera dependet potius a sulphure quodam inflammabili fœtente ac indigesto, quam a caussa quadam frigida, vt hactenus Pseudomedici existimarunt.

Nam & fumus ſulphureus, tam vini, quam croci multo citius hominem in ſomnum præcipitabunt profundum & lethetum, quam aqua niuis, vel glaciei montium, quantumuis in ſummo exceſſu frigidiſſima. Hæc enim frigiditas caret ſpiritibus vaporoſis & ſulphureis, qui in vino, croco, opio, &c. reperiuntur. Odor enim opii fœtidus certiſſimus index eſt eius, qui in eo ineſt, copioſi ſulphuris, & olei. Sic ex ceteris ſignis, quibus veteres verum opium diſcernebant, hoc quoq; vnum erat, quod flammam conciperet.

At maximum eſt narcoticum & ſummum ſtupefactiuum opium. Quocirca non frigiditas ſed ſulphureus ſpiritus cerebrum replens, ſomnum conciliat.

Hunc vaporem diſpeſcunt ac ſulphureum illum ſpiritum cõſumunt, quæ ſudores mouent, Errhina & apophlegmatiſmi, qui cerebrum expurgant & quæcunq; hominem ad laborem, meditationem, lectionemue pelliciunt.

Conuenit ergo caput fricare, applicare dorſo cucurbitulas, vt retrahatur materia a capite, geſtare manu rutam vel nigellæ ſemen contuſum & aceto roſaceo madefactum in nodulo ligatum olfacere, ſtypticum quoddam, vtpote miuam cydoniorũ poſt eſum aſſumere, Theriaca illa, cœleſti Quercetani, piſi quantitate palatum fricare, pios hymnos ac pſalmos modulari & ea inſtituere, quæ ad animi hilaritatem facere videbuntur.

Antidotus ſomnolentiam, torporem ac ſtupiditatem expellens.

℞. *Extract. fl. primulæ veris.*
Pæoniæ
Filiæ arboris
Lilij conuall. ana ℥ v.
Caryophyllorum

Cina-

Cinamomi ana ʒ ij.
Magistr. cranei humani ʒ i. ſ.
Sp. Diambra
Diamoschi dulcis ana ʒ j.
Castorei vino albo diſſoluti & per ſetaceum traiecti ℈ i ij
Fiat electuarium, doſis ℈ j.

Hæc antidotus iuuat ad omnes cerebri affectiones, eiuſq; ſubſtantiam facultateſq; mirifice corroborat. Prodeſt apoplexiis, paralyſibus, epilepſiis, vertiginibus, fumoſque vaporoſos, qui in ſublimi cerebri regione ſuſpenſi ſomnum narcoticum inducunt, diſpellit, memoriam roborat, oculorum hebetudinem acuit, & omnes capitis affectiones exterminat.

Caput purgium in forma liquida.

Errhina in forma liquida fiunt, ex aquis videlicet maioranæ, ſaluiæ, anthos, betonicæ, pæoniæ, vel ſucci anagallidis, braſſicæ, oxymellis, ſcyllitici, rad. cyclaminis, iridis, peti &c. harum vel binis vel pluribus inuicem mixtis & tepefactis in nares vel ſola attractione, vel per inſtrumentum ἐνέχυτις dictum infunduntur.

Caput purgium in figura oblonga.

℞. *Pul. herb. Roris marini*
Betoniæ
Maioranæ ana ʒ ij.
Sm. e Nigellæ
Rutæ ana ʒ j.
Castorei. ℈ j.

Coquantur cum ſucco rad. iridis ad conſumtionem ſuccorum, deinde cum maſtiche diſſoluto & melle fiant naſalia ad longitudinem digiti & cordulæ, ligata naribus indantur.

digitus, qui longior est reliquis, perueniat, & vbi digitus desinit, ibidem incipiat abradere, tendens versus sinciput, ita, quod abrasio per lõgitudinem sit quatuor digitorum, per latitudinem autem duorum. Abraso hoc modo capite, subiiciatur guttæ cadenti ex alto, & subtus sit vasculum, in quo colligatur aqua, ne pauimentum totum inundet.

Solet ęger, dum recipit stillicidium, corripi magno somno, quia incalescente capite ob stillicidium, multi vapores attrahuntur ad cerebrum: excitetur igitur æger, & non permittatur, vt dormiat.

Mora sub stillicidio trahenda horam cum dimidia nõ excedat, trãsacto tempore subtrahat stillicidio caput, abstergatur sicceturq; pannis non admodum calidis, ac frustum panni lintei rubri abrasæ parti applicetur, tegaturq; integumento, vt caliditas aquæ impressa diu conseruetur, ne occurrens aer obsit.

Numerus dierum in stillicidio est duodecim, vel ad summum 15. Nec pluribus duabus vicibus in die est vtendum stillicidio.

Euenit nõ raro, vt stillicidii vsu catharrus per venas, quandoque per palatum descendat; aliquando labitur ad thoracem, excitans magnam tussim, & tunc per aliquot dies a stillicidio abstineat, quæ si vehemens nõ sit, vtatur tantum semel in die, & breuioris temporis spatio: aqua etiam sit minus calida, detineatq; æger in ore saccharumcandi, & cum it dormitum, assumat saccharum rosaceum.

Post stillicidium gestet caput tectum quadraginta saltem dies, quo tempore nunquam sibi abluat caput, & diętam non spernat bonam.

CAPVT XXVI.

Fontis huius aqua quibus conueniat morbis?

STillicidium competit capitis neruorum articulorumq; affectibus, ex caussa siue frigida siue humida prouenientibus, maxime ad vertiginē aurium, tinnitum, surditatem, ad linguę resolutionem, paralysin, epilepsiam, oculorum inflammationes, amblyopiam, amaurosim, & qualescunque suffusiones administrat, exsiccando, calefaciendo, euacuando tollit dolores podagricos, arthreticos lenit, & laxātes articulos obfirmat, chirurgicales morbos omnes infra cutem & carnem vel in cute & carne, tam abditos & latentes quam manifestos sanat; vt sunt, macies, ariditas, syrones, pruritus, scabies, impetigines, esthiomena, fistulæ, tumores, & vlcera omnia sub crure enata, manentia & sordida, & impuritates aliæ cum scabie & pruritu contractæ. Vera hæc est aqua medicina, qua chyrurgus in omnibus desperatis morbis vti potest. Si namque natura operationi non sufficit: facit hoc balneum. Sicut enim ventus humores terræ, aut Sol fouearum aquas absorbet & exsiccat; ita & stillicidii seu insessionis huius aquæ vsu fluxus morborum consumitur.

Potus asthmaticis, cardiacis, grauiter tussientibus, febribus putridis opitulatur, morbos ex tartaro oriundos consumit, calculum vesicæ & renum comminuit, intemperiem hepatis calidam corrigit, lienis obstructiones aperit, mulierum profluuia alba & vesicæ vlcera sanat.

Hæc multorum testimonio comprobari possent, si centurias cōscribere animus esset. Sat magna nobis fila suppeditauit Clariss. ac expertissimus Sebastianus Roth, Reipub. Snebergensis medicus, amicus meus singularis, cuius con-

ſilio ac fideli opera & huius aquæ beneficio quam plurimi ſunt liberati a morbis combinatis.

Capvt XXVII.

Symptomata contingentia ex potu huius aquæ quot ſint? & quo modo corrigenda?

SVboriuntur non raro ex vſu huius fontis aquæ tam grauia ſymptomata, vt eius vſum omnino vitare, vel magna cura ea auertere oporteat.

Quidam aquam aſſumptam paulo poſt euomunt, nec eam retinere poſſunt. Quidam eam retinent, nec iterum excernere valent, quibus ardor vrinæ ſuperuenit.

Alij ſomno violento opprimuntur; Alij vigilia ſumma vexantur; Alij laſſitudine, ac omnium membrorum imbecillitate corripiuntur.

Quibus igitur mediis his ſuccurrendum, indicare oportet.

Capvt XXVIII.

Quibus mediis vomitus ſedandus?

QVod ſi vomitus accidat prima die, qua accipitur aqua, non timendus, ſed bonus & ſalutari s eſt; quoniam euacuantur plurima excrementa, diu forſan in ventriculo retenta; quod ſi tertia vel quarta die accidat vomitus, diuertere eum oportet ad inferiora, enemate eiuſdem aquæ, parumper ſalitæ; quo iterum eiecto, aqua exhibenda eſt, applicando cucurbitulam ad regionem ventriculi: quam ſi retinuerit, bonum erit ſignum: áltera die enema cohobetur, abſque applicatione cucurbitulæ: quod ſi aquam iterum euomuerit, deſiſtendum eſt ab exhibitione aquæ, donec vomitus ſedatur. Cum vero variorum morborum, vt lapidis, calculi,

peſtis

pestis, cholicæ, iliacæ, podagræ, lepræ, febrium, &c. Symptoma vomitus sit, ipse morbus inuestigandus ac expugnandus est: quorum vela hic contrahamus, ne forte longiori mora in vertices inextricabiles abrepti, benigno lectori molestiam creare videamur.

Potest tamen sequenti antidoto, condito vel tragea, ventriculus corroborari, quæ licet paratu sit facilima, nec ex numerosa ingredientium aut aromatum multitudine præparetur; exhibetur tamen non tantũ ad ventriculum confortandum, cui proprie conuenit; sed etiam ad capitis affectus, ad hemicranias acutissimas, vertiginem, melancholiam hypochontriacam, cachexiam, febrem quartanam; ad calculum, & similes affectus. Habet enim facultatem dissoluendi & liquefaciendi tartarum glutinosum, qui plurimorum morborum caussa, potissimum vomitus, existit. Huius medicamenti basis & caput est aronis radix, vt hic in solo Babenbergensi fere dulcis & parum linguam pungens crescit: omnis hæc exustionis expers est, quæ alias tangentis manus, bullas siue pustulas inducit, easque exulcerat: alibi ergo effossa maceretur in vino per noctem, & exiccetur in furno, iu quo panificia modo cocta fuerint; deinde reducatur in puluerem.

Tragea stomachalis.

℞ *Rad. Aronis nostr. vel vino macerata & exsiccata* ℥j.
Acori nostr.
Pimpinellæ nostr. ana ℥j.
Oculorum cancri ʒ *1. s.*
Salis absinthij,
Iuniperi ana 3. s.
Sacchari rosas. q. s. fiat tragea.

Conditum ſtomachale.

℞. *Conſ. rad. acori*
Arantiorum
Cutoniæ.
Menthæ ana ℥ ſ.
Conſ. alkermes ℈ 1.
Magiſt. mineralis Bezoardici
Mag. Tartari ana ℈ ſ. Fiat conditum.

Antidotus ſtomachica.

℞. *Extract. Baccar. Iuniperi*
Myrobalanorum omnium ana ʒ ſ.
Roſatæ nouellæ ℥ j.
Ol. e nuce moſchata chymice extracti ℈ j.
Caryophyllor.
Chalybis ana ℈ ſ.
Cum Syr. de acetoſitate citri fiat antidotus.

CAPVT XXIX.

Qua ratione aqua detenta educenda ſit?

QVod ſi aqua detineatur in inteſtinis & hypochondriis vel in toto ambitu, vt nec per ſeceſſum, nec per veſicam, nec per vomitum, nec per vllam aliam viam egrediatur, euocetur clyſtere ipſius aquæ hiera ſimplici admixtæ, altera die bibat iterum aquam, quę ſi identidem detineatur, educatur eadem ratione, qua fuit educta prior, & non bibat amplius aquam, ſed procuret aluum lubricum; multitudo enim materiæ mucoſæ in ipſis viſceribus exſiſtentis iſtius obſtructionis perſæpe cauſſa eſt.

Educta materia denuo tentet bibere aquam admixto ſale, primis duobus cyathis, quo facto, ſi non ſuccedat abſtineat.

Quam-

Quamuis ab vsu huius aquæ, cum in minori dosi instituta analogia ad alias acidulas & thermas assumatur, raro eueniat, vt in toto ambitu detineatur; ad anasarcum tamen disposito aqua hac vtenti tale quid euenire obseruauim⁹, ille a nobis curatus, extracto Elatorij ac massæ pill. de nitro ana Gr. ij. Cum mithridatica confectione dentur, in forma pillularum. Adultis valentius ac nobilius medicamentum ad hunc exstirpandum affectum vix reperiri potest. Puerulis sat potens est Rob baccarum Sambuci per cohobium.

CAPVT XXX.

Ardor vrinæ quomodo exstinguendus?

SÆpius vero euenit, quod ventriculo & intestinis refrigeratis aqua per secessum non excernatur, sed capiat iter ad vesicam & secum ducat alumen scissum cum Sale in renibus detentum, quod magnum vrinæ ardorem concitat, haud leue symptoma.

Nam aqua huius fontis Saturnina est, multum habens de substantia vitrioli calcinati, ideo ex suo Triual cadens grauior est ceteris; cyanea & glauca, quam ob caussam tartarum mouet, quod si Archæus ab astro vincatur, ipsum additione auget & acuit.

Qui ergo ardore vrinæ corripiuntur, prorsus abstineant ab vsu huius aquæ, donec ardor restinguatur, fugiat interea temporis lacticinea, quia caseus est tartarus alabastrinus & incurabilis, viscus inexpulsiuus. Non bibat agrestem, nec vinum ponticum, nec vllas amnes alkalizatas.

Nam alkali quod fuerit in aqua in tartarum conuertitur, & propria substantia alkali est.

Omnia legumina, pisi, pisces, cancri sunt de materia tarta-

ri,& cum veniunt ad ſtomachum liqueſiunt, & tranſeunt ad ſuam primam materiam, hoc eſt, coagulantur. Noxia ergo ſunt & in hoc ſymptomate vitanda.

Ardor ille anodynis reſtringi debet, & fruſtra acri ſuppoſitorio, vel enemate irritatur aluus, fruſtra pſeudomedici hepar refrigerare ſyrupis & electuariis nituntur. Sal calcinatus hic reſolui debet, hoc fit, ſi foras applices anodyna. Nam vapor in anodynis penetrat, & potens eſt, nō aliter, quam ſi quis os ſupra Mercurium crudum obtendat ad duas circiter horas, quamuis fumum non videat, nihilominus dentium dolorem infert, & os ſaliua replet; ita etiā vapor ex anodynis trāſit ad renes, & ſalem ſciſſum reſoluit, quo reſoluto ardor extinguitur.

Anodynum.

℞. *Liquoris papaueris*
Iuſquiami ana ℥ j.
Loly ʒ ij.
Camphura ʒ iij.
Roſarum
Plantaginis
Solatri ana ʒ j.

Hæc ſimul tuſa & in Cantharum indita bulliant, in B. M. ad mollis ſpiſſitudinem, eo inungatur pars dolens. Vel

℞. *Ol. Vrinæ* ℥ j.
Spicæ ʒ j.
Vng. Agrippæ ℥ ij.

Fiat inunctio in Spina dorſi, lumbis & pectine. Quod ſi a calculo obſtructionem inducente vrina delineatur, & ardeat, prouocetur liquore croci ac cantharidum, 4. mutationis gradu elaborato & cum vino correcto. Vt enim aqua ignem, ſic crocus calcem calculi reſtinguit.

Vel

℞. *Rubedinis colcothorinæ Gutt. Vij.*
Vitticellæ liquoris ℥ j.

Vel

℞. *Ol. Cristallini gutt. vj.*
Mag. lap. Iudaici.
Lyncis ana ℈ ß.
Viticellæ ℥ j.

Si obstructio vehemens sit, conuenit quoque balneum aquæ dulcis, cui herba raparum ac ipsa rapa aut etiam brassica inco-cta sint.

Incessus ad calculum.

℞. *Fragmentorum, Raparum, Pastinacæ.*
Siseris M. j. Sem. Peneschini.
Chamomillæ Fœniculi
Verbasci lini
Rutæ murariæ Rubeæ tinct.
Arthemisiæ ana M. j.

Coquantur in aqua, quantâ solium dimidium repleat?

CAPVT XXXI.

Quomodo somnus narcoticus excutiatur?

EVenit nonnunquam huius fontis aqua vtentibus, quod vaporosi spiritus iique sulphurei sursum non aliter ac fumus per ipsas membrorum quasi parietum commissuras penetrantes & in superiora capitis euadentes, ac cerebri ventriculos opplentes tendant, vt soporiferas inducant affectiones. Qualitas namque narcotica & soporifera dependet potius a sulphure quodam inflammabili fœtente ac indigesto, quam a caussa quadam frigida, vt hactenus Pseudomedici existimarunt.

Cinamomi ana ʒ ij.
Magistr. cranei humani ʒ j. ß.
Sp. Diambræ
Diamoschi dulcis ana ʒ j.
Castorei vino albo dissoluti & per setaceum traiecti ℈ i ij
Fiat electuarium, dosis ℈ j.

Hæc antidotus iuuat ad omnes cerebri affectiones, eiusq; substantiam facultatesq; mirifice corroborat. Prodest apoplexiis, paralysibus, epilepsiis, vertiginibus, fumosque vaporosos, qui in sublimi cerebri regione suspensi somnum narcoticum inducunt, dispellit, memoriam roborat, oculorum hebetudinem acuit, & omnes capitis affectiones exterminat.

Caput purgium in forma liquida.

Errhina in forma liquida fiunt, ex aquis videlicet maioranæ, saluiæ, anthos, betonicæ, pæoniæ, vel succi anagallidis, brassicæ, oxymellis, scyllitici, rad. cyclaminis, iridis, peti &c. harum vel binis vel pluribus inuicem mixtis & tepefactis in nares vel sola attractione, vel per instrumentum ἐρρίνχυτις dictum infunduntur.

Caput purgium in figura oblonga.

℞. *Pul. herb. Roris marini*
Betoniæ
Maioranæ ana ʒ ij.
Sem. Nigellæ
Rutæ ana ʒ j.
Castorei. ℈ j.

Coquantur cum succo rad. iridis ad consumtionem succorum, deinde cum mastiche dissoluto & melle fiant nasalia ad longitudinem digiti & cordulæ, ligata naribus indantur.

Caput purgium in forma linimenti.

℞ *Gummi amoniaci ol. terebinth. dissoluti*, ℥ j. *pyrethri subtilissime puluerati* ℥ iij.

Incorporentur optime cum spiritu terebinthinæ in unguenti consistentiam. De hac mixtione parum extremo digito vel baculi ad id aptati extremitati impone, & in narium profunditatem immitte, & statim distillari videbis magnam aquæ serosæ quantitatem.

Caput purgium in forma sicca.

℞ *Pulu. Maioranæ, Hellebori albi ana* ℈ *s. moschi Gr.* ij. fiat puluis.

Nos cum Auicenna vaporosum quoddam sternutatorium paramus *ex semine Nigellæ.* ℈ j. *rad. hellebori nigri, pyrethri ana* ℈ *s*. puluerentur & includantur in nodulo maceretur nodulus in aceto rosarum, & admoueatur subodorandus.

Hæc ratio ceteris multo securior est. Quod enim quidam Negotianæ fumum per fistulam ad cerebrum trahant, suo non vacat periculo, nec absque experti Medici præsentia & consilio tentari debet, nisi quis forte periculum amet & in eo perire mallet.

Apophlegmatismus.

℞ *Mastiches, pyrethri ana* ℥ *s. cum melle despumato*; fingantur trochisci auellanæ magnitudinis, manducenturque ad horæ dimidium, ita vt pituita semper expuatur.

Si pro delicatis masticatorium, quod eos suo calore minus offendat, componere velis, hac via præparatio aggrediandaest.

℞ *Rad. Pyrhetri in oxymelite maceratæ, exsiccatæ & pulueratæ, staphisagriæ sac hiricandi ana* ℥ *s*. excipiantur mucillagine tragacanthi, & fiat masticatorium.

CAPVT

Caput XXXII.

Somnus quomodo inducendus sit?

VIgilia nonnunquam modum excedens ſpiritus illos ſulphureos ſomnum conciliantes exhaurit, ac conſumpto vitali ſucco, ſopore ad quietem viriumque reparationem omnem euellit. Opera itaque collocanda eſt, vt ſpiritus eiuſmodi & vapores ad caput trahantur, quod fiet lotione pedum, irroratione cerebri facta, & floribus Camomillę, ſambuci, nemipharis, capitibus papaueris, foliis mandragoræ, ſem. hyoſciami, lactucæ cum amomo, anetho, camphora, croco, & ſimilibus; ex his omnibus coctis in aqua communi, aut maceratis in aquis conuenientibus concinnari poſſunt epithemata hypnotica ad cerebrum, quæ virtute ſulphuris narcotici, quod vt plurimum abundat in illis ſimplicibus, ſomnum prouocant.

Sunt præterea alia adhuc vigiliarum genera, quorum cauſſa triſtitia mentiſque perturbatio, aut alia quædam animi paſſio, quibus conſulatur, propoſitis omnis generis rebus iucundis & gratis, quæ mentem exhilarare queunt. Nam laſſitudo & ſuauitas cantus, & tenebræ, & ſilentium inducunt ſoporem, quia hæc animum colligant, & a ſenſuum diſtractione abducunt, ſomnum magnopere iuuant, quoniam applicatio ſenſuum remiſſa, & ad pauca ſe porrigens minori conatu ſpiritus euocat, ita facilius patitur eos intus reuocari, detinerique & vias, quibus ſpiritus foras traiiciunt, occludi.

Pomum Somnificum.

℞ *Styracis calamitæ*
Caphuræ.
℞. *Nucis moschatæ ana Gr. vij.*
laudani opiati Paracelsi contra choream S. Viti ℈ j.
Essentiæ croci Gr. iij.
Ambræ Gr. ij.

Confundantur inuicem in paruo quodam vasculo argenteo immiscendo puluerem cornucerui preparati, donec pomum formari possit, vel omnia commixta ex aqua rosarum, in qua tragacanthum & gummi Arabicum maduerit, redigantur in pomum: hoc sæpius odorando lumina somno demulcet ac ligat.

Epithema ὑπνωτικόν.

℞ *Rosarum*
Violarum ana ʒ iij.
Sem. hyosciami.
Papaueris albi
Cort. Mandragoræ.
Nucis moschatæ
Opij ana ʒ j. ß.
Santali albi ʒ. ß.
Croci ℈ ß.

Coquantur aqua solatri & rosarum ad mellis consistentiam: in eius colatura, spongia vel linteum imbutum fronti applicetur tepidum.

Pileolum refrigerans & somnum concilians.

℞ *fl. Nempharis*
Stœchados,
Rosarum rubrarum
Violarum
Maioranæ ana P. j.

Sem. Papaueris.
Lactucæ ana ʒ j.
Granorum Alkermes
Nucis moschatæ ana ʒ ß.
Caphuræ ℈ j.

Hæc in puluerem redacta, panno serico rubro ad formam pileoli concinnato insuantur, qui vesperi concepto fumo ex semine papaueris, rosarum, violarum, santali, &c. gestetur.

Nepenthes somnificum.

℞ *Essentiæ opÿ cum spiritu vitrioli extractæ. ʒ j,*
Essentiæ croci cum succo limorum extractæ, ʒ ß
Lapidis bezoardici ℈ j.
Extract. Diambra, ℈. j. ß.
Magistery bezoardici mineralis maioris, seu Nepenthes nostri, Gr. vj.

Confundantur inuicem in paruo quodam vasculo argenteo, de quo sufficit exhibere magnitudine piperis grani ad introducendam gratam tranquillitatem in omnibus ægritudinibus, in quibus ipsis rationis sensus læditur, & æger in phrenesin plerunque delabitur.

Lotio pedum somnifica.

℞ *Chamomillæ,*
Rosarum rub.
Betonicæ,
Rutæ,
Asari ana M. j.

Coquantur in lauacro pedum, vbi iam satis inferbuerint, Nitri & salis M. j. addatur. Vtitor vesperi ante cibum, vel somnum: Capiti, pedibus & omnibus neruis salubris multos morbos futuros arcet.

Caput XXXIII.

Demum lassitudini subueniatur abstinentia huius fontis aquæ, quiete, epulis suauioribus, optimo vino, eoq; odorifero cum placenta modice assumto, aspersione aquæ odoriferæ, rosaceæ, balsamorum antapoplecticorum inunctione.

Balsamum antapoplecticum.

℞ *Extract. Cinamomi,*
Caryophyllor.
Anthos,
Primulæ veris,
Calendulæ,
Betonicæ, ana ʒ j.
Ol. Macis,
Cinamomi ana ℨ j.
Sp flor. lilij conuall. ℈ j.
Mumiæ calabrinæ depuratæ ℨ iij.

Omnia bene mixta paruæ cucurbitæ indantur, & in balneo Mariæ per triduum digerantur ad iustam Balsami consistentiam. Conseruetur in parua thecula, rotunda, argentea, & intus deaurata, eo palatum & nares illinentur, mirifice recreat & omnia capitis mala auertit.

Aqua ad collapsas vires instaurandas.

℞ *Flor. Roris marini exsiccatorum.*
Buglossæ.
Boraginis.
Rosarum,
Violarum, ana M. j.
Cort. citri sicci,
ligni Aloes,
Santali ana ℨ iij.

Inci-

Incisa indantur omnia in alembicum vitreum, super effundendo viticellæ liquoris ℔ iij. digerantur vase optime clauso: Dein per cineres aut balneum Mariæ destillentur, multoties hanc aquam cohobando & reducendo in cuius optime rectificatæ ℔. j. dissolue confect. alkermes ℥ ß Ambræ gris. ʒ. ß.

Aqua caponis.

Caponem vnum, antequam iuguletur, cursu fatigatum exenteratum in frusta discinde & in phialam vitream capacem iniice addendo.

Flor. Primulæ veris,
Anthos,
Maioranæ ana M. j.
Ligni aloes,
Santali, citrini,
Caryophillarum,
Nucis moschatæ,
Cinamomi.
Rad. acori,
Ireos, Glyzerhyz. ana ℥ ß
Aristolochiæ rotundæ, ʒ j. ß
Cort. citri. ʒ. ij.
Sem. Peoniæ,
Fœniculi, ana ʒ. j.
Granorum Alkermes.
Paradisi,
bacc. lauri, ana ʒ j. ß.
Viticellæ liquoris, ℔ vj.
Aq. boraginis,
Rosarum, ana ℔ j.

Incisa incidantur. & conquassando conquassentur, & in balneo Mariæ ferueant, donec capo vi bullientis aquæ in minutissimas particulas decoctus fuerit, exprimantur postea omnia per torcular, & in alembico distillentur. Huius liquoris frequenter cochlear vnum exhibitum, per se, aut cum iusculis dissolutum collapsas vires restaurat.

Aqua Odorifera.

℞ *Cinamomi* ℔. ß.
Rosarum rubear.
ligni aloes. Rhabarbori.
Santhali, Citrini, cort. citri, ℥ *iij.*
Aqua vitæ rectificata, lib. iij.

Mixta omnia atque in Phialam posita ligentur nodulo syndoneo, fl. Violarum, pii moschi Gr. vj. Zibetti Gr. ij. suspendantur in alembici orificium, deinde cum per dies decem in vase optime reclusa fuerint, destillentur in balneo Mariæ; aqua hæc pretiosa est ad præseruandas vires, detur gutta vna mane cum modica medulla panis. Solo olfactu vires mirifice recreat.

Aqua hypnotica.

℞ *Succi papaueris vtriusque, ana* ℥ *iij.*
Hyosciami,
Portulucæ,
lactucæ, ana ℥ *ij.*
succi fabæ inuersæ, ℥ j.
Sem. lolij,
Lactucæ,
Melonum, ana ℥ ß.
Castorei.
Mumiæ, ana ℥ *iij.*
Camphoræ,
Croci, ana ℥ j. ß.

Con-

Contundantur & reponantur per dies tres in vase vitreo & destillentur. Dosis huius aquæ ℥ ʃ. tempore somni, dolorem omnem obtundit, & mitigat, atque inflammationibus internis confert, ac laudani vires æmulatur.

CAPVT XXXIV.

Quæ nam & quot symptomata ex balneo huius fontis aqua ægris eueniant?

POst prauum balnei vsum nonnunquam vehemẽter ægros fatigant viscerum ardor & totius corporis sitis intensa, appetitus prostratio, alui constipatio, animi defectus, somnus profundus, vel nimia vigilia. Quæ quibus mediis postrema tria haud spernenda symptomata, profliganda sunt, superiore capite enodatum est. Nunc aluum soluere, ardorem & sitim restinguere, tum deniq; appetitum languentem excitare, vt tandem sic euentu optato fruamur.

CAPVT XXXV.

Quibus mediis ardor totius corporis restinguatur?

POST prauum balnei vsum sequitur nonnunquam ardor viscerum ac totius corporis adeo vehemens, vt in fornace balneum egressus videatur iacere æger; ipsi hoc consilii damus, vt abstineat a balneo quatuor, vel quinque diebus, vtaturque victu refrigerante, & humectante, bibatque aquam decoctam: Nam huiusmodi feruori solet frequentissime succedere febris hectica; foueat hepar epythemate frigido, nec sequentibus diebus amplius vtatur bis in die, sed semel tantum aqua, non feruente, sed trepida: Aqua huius fontis nimirum calefacta, sulphur in sanguine, a potentia videlicet vitrioli eius calcinati, isto calore reuerberatur, & vim suam

adurendi rursus acquirit, incendit; vnde flamma ac ardor in carne excitatur. Ad hunc extinguendum ardorem remedium optimum, & potentissimum est, Nitrum in aceto rosaceo & succi sedi maioris maceratum, & carpis seu locis pulsuum illigatum. Hoc enim ardor qualiscunq; sit, refrigeratur & mulcetur. Sic si sulphur tenuiter tritum, linteo inclusum, in bono vino duabus tribusue horis coquatur, ac digitis postea probe fricetur seu teratur, exprimaturque, iterumque in vinum intingatur, toties q; hoc repetatur, donec vinum lactis instar albescat; in hoc liquore madefacti panni temporibus & carpis impositi ardorem exstinguunt.

Aqua.

℞ *4. Sem. frigid. ana ℥ ij.*
Vrticæ ℥ j.
Lolij
Scariolæ
Fl. violarum
Nempharis
Hyosciami ana M. j.
Succi fol & rad. centaurij minoris ℔ ij succi cancrorum fluuiatilium conquassatorum ℔ j.
Aquæ ex succo capitum papauer. albi elicitæ.]
Aquæ fructuum fragariæ ℔ ß

Misceantur, & per alembicum vitreum destillentur; specificum est ad omnem exstinguendum ardorem, a quacunque caussa contractum, Dosis est ℥ j. cui si guttulas aliquot Spiritus vitrioli addas, præstantior euadet.

Recoctum refrigerans.

℞ *Rad. Oxilapathi*
Cichorij.
Graminis,

Ace-

Acetosæ,
Taxaxasi, ana ℥ j.
Fol. Agrimoniæ,
Polytrichi,
Petroselini, ana M. j.
Sem. Cuscutæ,
melonum,
Cucumeris,
Papaueris albi, ana ℥ j.
flor. buglossæ
Rosarum,
Violarum, ana p. ij.
Santali albi, ʒ j.

Fiat decoctio colatura, si ita placuerit dulcoretur sacchato clarificato, vel aromatizetur pauco cinamomo, vel addatur Syr. violaceus vel acetosus, &c. ardorem restinguit.

Capvt XXXVI.

Quibus mediis sitis sit sedanda?

Sitis maxime solet affligere eos, qui vtuntur balneo, vt rari inueniantur, qui nō patiantur sitim: illa vero duplex est, vna ementita, quę in ore, palato, & faucibus tantum est: hæc si linguam ardeat, abluat æger os posca vel aqua sacchari, vel hordeacea, vel detineant in ore saccharum candi vel glaciem paradysi, vel crystallum, vel taleolas rapæ, vel lambat extractum glizerhycæ, &c. Altera sitis vera est, variorum morborū, vt tartari icteritiæ, phthiseos, hydropis, &c. symptoma, quæ non nisi expugnato morbo sedatur: vtile tamen est exhibere ius pulli, in quo decocta sit endiuia acetosa, santalum, &c. Cassia pulpa, specificum quoddam ad sedandam sitim habet, cum pulpa tamarindorum: similiter & saccharū rosaceum in ore detentum, vt sensim per se descendat, sitim exstinguit.

CAPVT XXXVII.

Quibus mediis alui suppressio alleuanda sit?

FRequentissimum symptoma hoc lauacro vtentibus est alui suppressio; pauci enim sunt, quibus quarto vel quinto die non supprimatur aluus, cui symptomati occurrendum est clisteribus alternatis saltem diebus. Quod si non admittat æger clysteres, vtatur vel iusculo & similibus, vel metallorum croco, vel turpeto minerali, vel ex illis elicitis aquis electuariis, pillulis rotulis, &c.

Iusculum purgans.

℞ *Tartari Chrystallini* ℨ j.

iusculo caponis vel carnis, admixti, acidulum, gustuique gratum id reddet, nec vllam nauseã, vt reliqua solent purgantia, excitabit, purgat clemẽter, licet per se vel sine iusculo sumatur, vel pulueri Diãbræ admisceatur. Possunt hi Crystalli apozematũ loco quoq; offerri in plurib⁹ affectibus, ad dissecãdos & incidendos crassos humores & tartareos in viscerib⁹ nutritioni dicatis, quibus si ℈ j. anodyni mineralis addas, remedium habes magnum diureticum & diaphoreticum.

Horum descriptiones ex hyerogliphicis Chymicorũ annis aperte narrat Quercetanus Pharm. dogmat. Sect. *l.* 1. *c.* 25. ad quem lectorem relego. Ægre forsan filii Hermetis ferrent, si hæc arcana & secreta, vernacula lingua in vulgus promulgarentur.

Enema,

Præparetur ex aqua huius fontis, ℔ j. maceretur per horas tres, croci metallorũ, ℨ j. ß. Coletur, & administretur tepide.

Conseruæ Purgantes.

Parabuntur ex floribus Rosarum pallidarum, violarum, persiæ arboris, centaurii & hyperici, & prunorũ syluestrium,

quæ

quæ purgabunt, & infantibus aliisque, qui a potionibus Medicis plerumq; abhorrent, commode exhibebuntur, quibus si ætas, vires, morbus consentiant; admisceantur grana duo, vel 3. vel 4. vel 5. &c. croci metallorum, siue panaceæ nostræ, vel Mercurii vitæ, aluum citra molestiam soluent, & noxias superfluitates expurgabunt. Ex hoc vitæ Mercurio spiritum vitæ aureum, aquam benedictam, aquam terrę sanctę, aquam anthygram, aquam ophtalmicam, antepilepticam, antapoplecticam, item potiones catharticas, atque cholagogas, hydragogas, melãcholagogas, menstruo cõueniente, ad pręceptum artis chymicæ, leui adhibita opera concinnare & magno fructu tuto exhibere poteris. Hic vitæ Mercurius purgantium basis & fundamentum est, in quem natura, quasi in vnum gazophylacium, vim purgatiuam abdidit; hic vitæ Mercurius sal est omnium acutissimus, omnemque superfluitatem vltra suum yliadum disturbans.

Quare omnibus morbis tartarosis & obstructionibus, vnde grauissimi morbi originem trahunt, conducit; ab hoc cetera medicamenta purgantia siue mineralia, siue cachymia, siue vegetabilia sint, virtutem participant, non aliter quam ex thyrso rami in longum & latum dispersi virtutem suam mutuãtur. Ex hoc igitur medicamine, cum spiritu nostri salis aurifico, velut ex masculi & fœminæ complexu omnis generãdi: ita omnis noxia quæuis in corpore humano latentia, expellendi virtus nobis abunde suppetit.

Caput XXXVII.

De cura diminuti & ablati appetitus.

CVm os ventriculi sit instrumentum famis & appetitus naturalis, necessario est sedes vitiatæ appetentiæ, quam

δυσορεξίαν, proſtratum vero appetitum , vbi nulla percipitur ventriculi functio , ἀνορεξίαν Galenus vocat.

Aſt a quo morbo ſymptoma hoc dependeat, magna eſt Medicorum veterum diſſenſio. Aegineta lib. 3. c. 37. Tali. lib. 7. ex Gale: & Auicenna docuerunt, ἀνορεξίαν fieri, tum a frigida tum calida intemperie. Alii inappetentiam fieri volunt, quia non euacuatur corpus, eo quod vel nimis plenum eſt, vel quia nimis obſtructum eſt. Alii otium hunc generare affectum autumant; vnde cum Socrates ambulabat , dicere ſolebat , ea exercitatione ſibi obſonare famem, quaſi motus appetitum faciat, & otium inappetentiam. Alii omne id, quod calorem natiuum offendit, cauſſam inappetētię ſtatuerunt, cum enim calor ſit potiſſimum facultatis inſtrumentū, ſi lædatur neceſſe eſt, operationes lædi; læditur vero calor, diſſipatis, vel imminutis ſpiritibus, vt in immodica lętitia vel timore, vel a ſucco contrario, vt a frigore : nam qui potum nimis frigidum ſumunt, ſolent non appetere. Alii dicunt, appetitum offendi, ſi cibi conſueti nimis offerantur, aut ſi miniſtrentur a ſeruis immundis, ſordidis, fœtentibus & turpibus. Ariſtoteles cibos dulces, craſſos, & pingues appetitum tollere , item ſi pinguia, craſſa, dulcia edulia præ acidis & acutis ſumantur.

Hos omnes taxat Arabum ſchola, fingens naturam a liene fabricaſſe venas & ductus quoſdam in os ventriculi , per quos tranſmiſſus melancholicus ſuccus appetitum inducit.

Itaque ſi obſtruantur hi ductus, ita vt ſanguis melancholicus non pertingat ad os ventriculi , aut idem ſanguis per alias partes euacuetur, vt per anum , vel per vterum , appetitum magnopere lædi.

Hinc alii medicinis confortantibus , alii purgantibus , alii calefacientibus, alii humectantibus , alii refrigerantibus , alij

timo-

timore, alii gaudio, alii exercitatione & vigiliis curationem inappetentiæ instituerunt.

Rectius Paracelsus comedendi appetitum prostratũ tartari in ventriculo symptoma esse his verbis *Tom. 5. cap. 1.* de lithiasi in stomacho declarat: *Si spiritus vini a sua corporalitate separatur, & pertransit ad hepar, tum post se relinquit corpus, quod in se continet tartarum crassum, durum & acutum. Iste tam tartarus affigitur tunicis stomachi, ibidem perseuerans locum sibi manentem molitur, vnde morbi nonnulli stomachi oriuntur, videlicet orexis, &c.*

Quod si autem venas ex stomacho constipet, appetitum tollit & alimentorum transitum impedit, quem postea sequitur Phthisis, consumtio ethica, tabis species; concitat etiam in stomacho dolores, hoc est, in præcordiis ciet compressionem, ardorem, fissuras, vlcerationes. Hæc omnia namque ab acrimonia & natura tartari proueniunt, qui si se ipsum calcinet, tunc morbos quadruplo vehementiores reddit, quam alias esse debent.

Tartarus ergo ex stomacho auferendus est. Deinde præseruatiuum constituendum, ne is demum obnascatur, hoc fit esurino acetoso, illud purgatiuo, quale est Mercurius aureus, sal spiritu præcipitatus, qui potenter tartarum, tam resolutum, quam coagulatum expellit.

Esurinum acetosum est medicina, quæ sua natura ventriculum adeo famelicum reddit, vt etiam cibos insolitos appetat. Quod autem appetit, id excoquit, & digerit. Hoc duplex est, fontale, vt acidulæ, & artificiale, scilicet acetosum vitriolatũ, Illud puta, quod ex fracta & resoluta Venere sine corrosiuo præparetur in quintum esse, oleum & ipsius liquorem. Magnæ huius medicinæ radix est vitriolum, de quo Cabala hoc insinuat: *Visita interiora terræ rectificata, inuenies occultum lapidem, veram Medicinam.* De his hactenus.

CAPVT XXXVIII.

An & qualis diæta aquam fontis S. Annæ bibentibus sit obseruanda?

HIc nobis iterum cum pseudomesticis colluctandum est, qui Theophrastum eo, quod neglecta tenui diæta, plenis ventribus suos curauit ægros, helluonem proclamitant. At semel verecundiæ limites transgressi amplius non erubescunt. Quis vnquam tam exacte de diæta obseruāda scripsit, ac Theophrastus? testantur hoc commentaria in Hippocratis aphorismos.

In diæta, inquit, *non solum curandum esse morbum, vt ægroto iuxta tempus morbi in die semel, bis, aut ter, plus minusue detur, pro vt fert ratio; sed & ætatis exigentia inspicienda, & pro ea diæta ordinanda: & præter senectutem, vel iuuentutem etiam regionis conditiones, proprietates, natura, & essentia considerari debent, & pro iis etiam cibus, & diæta constituenda sunt, &c. Regiones enim natura, & consuetudo spectanda est, & non frangenda in delectu cibi & potionis, & quoties natura appetit, dandum. Nec non tempus est obseruandum. Diætæ æstatis nihil valent in hyeme, nec hyemales in æstate. Quælibet habet suum tempus: quod igitur illi tempori vsitatum est, in diæta seruetur, nec misceatur aliquid peregrini. Hoc modo regimina diætica ægrotorum constituenda sunt, sicut Hippocrates docet, & non introducendum est aliquid contra hunc aphorismum. Videndum, quibus semel, quibus bis, plus minusue & gradatim, sit cibus dandus: Dandum vero aliquid tempori, regioni, ætati & consuetudini. Hipocrates hoc in loco syncerum medicinæ spiritum habuit. Medici autem illi nostri arguti ex Germania Italiam facere volunt, id quod tantum ex mera superbia faciunt, non cogitantes, quid sit medicinæ, alias Hipocratis doctrinam melius seruarent.* Hæc Theophrastus.

Ex

Ex his plane constat, quo Zelo Paracelsus medicinam a Pseudomedicis deprauatam, vel nō intellectam ad Hipocratis leges reuocare, sollicitus fuit.

Seuera diæta neminem vti debere, aut multū ei tribuere, suadet hoc cum Theophrasto Hipocrates, senex igitur ille vester erit helluo. *Qui,* inquiunt, *per diatā multū efficere volunt, ij magis se corrumpunt. Nam morbus, qui tali diata curatur, non curatus est. Desinente enim diata redit morbus, & crescit denuo. Non enim diata, sed medicina curare debet.* Idcirco ægroti in se ipsos delinquūnt, cum morbos fame pellere conantur. Morbus enim nulla fame pellitur; Diæta quidem seruari debet, non vt cura, sed vt naturam idoneam conseruet, vt suas actiones eo melius perficere possit. Natura in morbis diuturnis cibum non appetit, imo morbi tota plena est, idcirco quando diæta mediocris non iuuat, signum est, non diæta, sed medicina agendum esse. vbi enim morbus se ipsum pascit, ibi diæta non opus est, sed sola medicina. Morbi enim se ipsos replent, perinde ac si quis semet ipsum nimio cibo obrueret, ita morbus satiatur. Si in magnis morbis contingat, diętam nihil proficere, docente Hipocrate, *victus,* inquit, *tenuis, & exquisitus in morbis longis semper, in acutis parum tutus est.* Tum diætæ non est studendum, quin potius medicinæ omnis opera impendenda est. Natura enim se ipsum pascit, adeo vt ea plena sit.

Quamobrem aquam fontis S. Annæ bibentes etsi non arctissimo regulæ freno cohibeo, non tamen habenas ipsis ad licentiam vsque relaxo; hanc igitur obseruent cibandi rationem. In primis cauendum, ne vlla ratione aluus vel supra modū pateat vel nimiū obstruatur; ibi enim in resolutione & iniuria extrinsecus inferenda discrimen, hic autem in putrefactione & suffocatione periculum. Primum si irruat, abusu

huius aquæ aliquot dies abstineat, & victu vtatur sicciori. Aluum clisterehuius aquæ infecto, vel rosarũ succo, vel pillulis de aloe molliat. Mensæ ipsius sint in nouem diei horis duæ & vtrobiq; parcæ, parcius cœna prandium, ne balnei cohobium crapula inhibeat.

Cibus esto duplus ad potum, panis duplus & sesquialiter ad oua, triplus ad carnes, quadruplus ad pisces, herbas, fructus humidiores, panis vetustior & hordeaceus fugiendus.

Ne incipiat a potu mensa, neq; sit vberior, vinũ siue albũ siue rubrũ esto clarum, suaue, ac odoriferũ. Humidiora & pinguia alienum humorem atque putridũ membris inferunt: ijs si frui libeat, aromaticis acribusque condito. Siccissima moderate accipienda, vel saltem liberiore potu temperanda.

Vbi complexio, ætas, locus, tempus, ad calidum siccumue labitur, tu quoque paulisper ad opposita declinato: vbi ad frigidum, aut humidum, similiter ad opposita vergito

Nutrientia, ne corporibus, a quibus ingeruntur, officiant, suis contrariis corrigenda sunt, nam calida cum frigidis, sicca cum humidis, obstruentia cum aperientibus, dulcia cum acetosis, pinguia cum salsis ac acribus misceri debent; cibi multiplices & facultate dissimiles magnam progignunt in ventriculo turbationem.

Nihil deterius est, quam diuersa nutriẽtia similiter adiungere, & in comedendo tempus prorogare, quoniam cum postremum aduenit nutriens, primus iam incipit digeri cibus. Ciborum mensura exsistit secundum vsum & virtutem, ea enim recta, quæ cum ingesta fuerit, grauitatem non afferat, neque in ventriculo natet, nauseam non commoueat, neque carnium comedendi desiderium, neque ingenii pigritia, neque insomnietas, neque ipsius saper in ructibus post tempus reperiatur.

Volu-

Volucrum caro ob facilem commotionem præcipuam laudem meretur. Porro in omnibus volucribus animalibus, vt in quadrupedibus, scire in vniuersum oportet, quod caro adolescentium longe præstantior est, quam ætate declinantium. Florentium vero inter vtraque media. Noxia vero est admodum nouellarum, diuersaque ratione vetularum. Etenim eorum dura & sicca est caro, ideoque & concoctu difficilis, & exigui alimenti; Contra nuperrime editorum corpora mucosa eaque excrementis plena sunt, leuius tamen per aluum subeunt. Hæc enim in cunctis animalibus nouisse oportet; communiter namque omnibus & ex æquo hæ differentiæ, quas ab ætate sumsimus, inhærent. Optimum pariunt nutrimentum phasianus, Gallus betulæ, Meleagris, Gallo pauus, Grygallus, Vrogallus, Erythrodaton, coturnix., ortygrometra, Chilus terrestris, Attagen, Gallinæ corylorum, perdix rustica maior, duodecim gallinæ aquaticæ, gallinæ rusticæ, Gallinæ marinæ, Totamus, limosa, Liuiæ palumbus, turtur, &c.

Quæ maiores stagna & paludes rimantur, esui sunt insuaues, & difficulter concoquuntur, vt carbon aquaticus, vulpanser, Ehenalopex, Pellicanus, platea, anser, balsamus, branta, Tarda vel bistarda puffimis, anas rustica fusca, cicur torquata fusca, &c. querquedula, Ardea, botaur⁹, falcinellus. Iuniores quoque esui non sunt, luscinia, fringilla, carduelis, Elea, Alcyon, hortulana, curnicula, citrinella, linaria, panes maior, cæruleus, ater cristatus, candidus, &c. certhius, rubecula, sexatelis, Agitho, hirundo, passer, spermologus, prunella, emberiza flaua, alba. Ab gruum, vulturum, milui, falconis, struthiocamæli, gryphorum, coruorum, cuculorum, cornicum, bubonum, noctuarum, vlularum, caprimulgorum, sicut nec ab aquinæ camelinæ, ac

etiam

etiam asininæ carnis esu homines quidam non abhorrent, mente pariter ac corpore in equos, camelos, asi nos, caprimulgos, noctuas, cornices, cuculos ac coruos degenerantes.

Caro animalium domesticorum, ac syluestrium, sanitati tuendæ competit, vituli non lactantis, aprina, hœdina ;agnina maxime, castratæ reprobatur suilla, vaccina, hircina, leporina, vulpina, vrsina, hæ namque ad succi probitatem & ad concoctionem ineptæ sunt.

Carnes si quotidie commedantur, ac pondere panis propinquent, putrefactionem inferunt.

Pisces actu calidi manducentur, decocti operiantur patinis, nam prouocatus vapor & vomitum sæpius & alui fluorem concitat ; in cacabo cupreo non coquantur cum Sale, nam venenum e metallis extrahunt, quod cum cibo illo in corpus ingeritur, a quo deinceps morbi haud temnendi emergunt, quod homines non saltem non attendunt, sed ita fieri ne quidem persuaderi possunt. Salubriores sunt scari, merulæ, Turdi, salmo, lampreta cæcilia. Alui ciendæ gratia eligantur, ostreæ, Tellinæ, echimis marinus, frequens piscium esus vitetur, maxime fugiendi sunt Dracones, cuculli, mustcli, scorpius, mulli, glauci, congri, aquilæ mugiles, asselli, Rhombi, item cetacei, e quorum genere sunt, Phocæ balenæ, delphini, Thumasi canes, item crusta contecti, vt sunt, astaci, paguri, locustæ ; item cartilaginei, vt pastinaca, raia, leuirnia, squatina ; hi fere omnes duram praui succi & excrementitiam carnem habent, quapropter sale asseruati plurimum eduntur.

Fructus omnes nocent, horum immaturi & cariosi deteriores habentur, præcipuo vitanda sunt, allia, cœpæ, raphani, sinapi, porrum, pisa, lentes, pultes ex lacte, caseus,

lac & ex lacte parata, aromata frigidioribus ex humidioribus epulis, concoquendis, cordialibus, frigidis commiſcendis ſunt neceſſaria, epulas hoc puluere conde.

Myrobalanorum embliacorum, ſit pars vnciæ quarta, ſantalorum vero dimidia, cinamomi integra, octaua croci. Hoc vtere condimento. Accipe gallinarum & pullorum atque caponum cor, iecur, ſtomachum, teſticulos, atque cerebellum, coque aqua modica minimo ſale, cocta contunde, ex tota carne & toto iure & ſaccharo, addito recentis oui vitello, fac placentam, modico cinamomo crocoque conditam & auratam.

Semper ſtipticum aliquid abſque potu vel modico ſequatur menſam.

Neque ſatietas, neque fames, neque aliud quicquam, quod natura nimium ſit, bonum eſt.

Ventriculum a frigiditate huius aquæ tuere medulla recentis adhuc calentis panis infuſo vino maluatico, cum puluere menthæ, appoſita ſtomacho, & ſæpe ad olfactum adhibita.

Cuilibet etiam lauanti etſi nulla alia medicina vtatur, prodeſt, ſi ſub quamlibet auroram iuniperi grana ex aceto, pro purgando ſanguine, deuoret, poſt cibum ſumptum, tam mane, quam veſperi, etiam confert tria vel quinque grana Coriandri ex aceto vorare, vt ciborum euaporatio impediatur.

Somnus nocturnus ſemper bonus, cuius commoda recenſet Tertullianus; *Somnus*, inquit, *eſt recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, Medicus labo-*

rum, cui legitime fruendo dies cedit, nox legem facit, auferens rarum etiam calorem.

Diurnus ſomnus, niſi admodum neceſſarius, nunquam bonus, ſemper malus.

SOLI DEO GLORIA.

IMPRESSVM

Francofurti ad Mœnum, Typis & ſumptibus
Zachariæ Palthenij D.

ANNO MDCXV.